FLORUS ANGLICUS,

Sive

RERUM ANGLICARUM

Ab ipso exordio, usque ad Caroli primi mortem deductarum

COMPENDIUM.

Auctore

LAMBERTO SILVIO.
Amstelodamensi.





AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM RAVESTEYNIUM
CIϽ IϽ C LI.

Eruditiſſimo , præſtantiſſimo

Viro

SIMONI DOMEKÆIO

Amboinæ quondam præſidi , &c.

Amico obſervandiſſimo.

S. P.

On diu obſervande patrone quærendum mihi fuit , cui hoc meum Anglicarum rerum compendium offerrem. Tibi debetur quantum mihi ſuppetit , quippe qui ſtudiorum inſolitum , ne dicam expertem , atque adeo tergiverſantem amica juxta & utili admonitione, ſtimulare & impellere non deſieris. Tali utique ſtimulo opus erat mihi ; quem juſtæ ad majora veſtiganda alæ deſtituunt. Et jam cum hiſce meis paginis lucem videre erubeſco , Doctorum virorum oculos offendere contremiſco, nec ignoro haud quaquam defuturos qui ſyncruſio riſu audaculum

prosequentur, & mordacibus dicteriis (immeritum tamen) proscindent. Tu autem si quis literarum amor, si quæ in obsequentem amicum benevolentia, non patere surgentia hæc germina in ipso partu opprimi, tu laureis munitus à maligno obtrectatorum fulmine inermem libellum vindica: ad te confugio literatorum asylum. Si forte non usquequaque, ille, quem affectant verborum artifices, elegantiarum decor gravitasque appareat, excusa tenuem peritiam, pulvere scolastico haudquaquam obsitam, quam non desudans palæstra, nec rauca doctorum declamatio, nec æstuans æmulorum exercitatio, sed domestica umbra, & ignobilis industria genuit. Ne autem futilia credas quæ tanto viro oblatum venio, habet sane hic libellus quorum nec pudet, nec piget, Historiarum haud illepidam congeriem, rerum inusitatam, & bellorum mirandam aleam, exercentes diris

cruciatibus plebem Tyrannos, atque eosdem, horrendo tormentorum delectu, ab ipsis subditis interemptos, devictas gentes, & ex rebus conclamatis in novam virtutem resurgentes. Istiusmodi sunt quæ tua audiunt; si tibi demum placeant, plurimum mihi gratulor, nec laudari volo, cum sperare laudem non possum, vituperari non debeo, cum communi utilitati & commodo studuerim, quod autem volo, possum, & debeo, manebo in perpetuum.

Observande Patrone

Tuus

L. SILVIUS.


LECTORI.

Habes, amice lector, rerum Anglicarum breve oppidò compendium, ea tamen diligentiâ, illoque scrupulo scriptum, ut pæne nihil nisi circumstantias, & ambages desideres. Hoc tum labori tum tempori consultum fore arbitror; quid enim juvat ætatem in rebus vestigandis perducere, si momento quasi desiderio satisfieri possit? uno oculo tot scriptorum labores & sudores perlustrare possis? ab ipso rerum exordio, ne quid deesset, ad hæc usque tempora historiam deduximus, immo res Carolo primo infeliciter gestas adjecimus, non meam sed eorum fidem secuti, qui, si absit invidia, veraces testes, & miserantes Tragœdiæ spectatores audire possunt. Neque ipse partibus implicitus vim veritati molitus sum. Si amor adsit, odium tamen mihi exulat, & si forte quisquam (quod in recentibus fieri amat) posthuma experientiâ latentes altius rerum causas, eâdem cura protulerit, fidem habere non detractabo, tantum abest ut mihi potius meoque studio, quam aliis credam. Quod mihi volupè fuit, tibi ingratum futurum non puto. Non me (ut spero) speratus ille fructus destituet, si adsit, nil ultrà ambio, nil affecto. De stylo moderatè sentias, humaniter judices, non in admirationem rapiet, scolastico nitore fulgurans, non curiosos oculos morabitur verborum lenocinio, & arguto sententiarum delectu superbiens. At quid dicam ulterius? excusandus est. Non potuit me justis destitutum

deſtitutum alis, laudis affectatio in ſublime rapuiſſe. Modica placent, placere ſaltem debent, cum magna non poſſum. abſit tantum obtrectatorum invidia, ſciolorum incilatio, & felix fuero. hisque præfatus manebo.

Tuus

L. SILVIUS.



De Primis

BRITANNORUM
REGIBUS.



Ritannia antiquitus non uni ſed diverſis paruit Regulis, quorum quatuor nomina Cæſari dicuntur, Cingetorix, Carvilius, Taximagulus, & Segonax, Certior quidem propteria, ſed longior Romanis deiis victoria fuit, dum enim ſinguli pugnant univerſi vincuntur. Reluctari tamen ſubinde auſi ægrè admodum cervices alieno imperio ſubmiſere Britanni, quos inter muliebri ſed illuſtri emicuit facinore Voadicia Regina, quæ cum antea cum filiabus virginibus, vim à Romano milite paſſa erat, in vindictam amiſſæ pudicitiæ, ingentem conſcripſerat exercitum, quo maximam hoſtibus ſtragem intulit, mutatâ vero poſtea belli alea, hauſto veneno paratum ſervitium effugit. Quingentis admodum annis Romano imperio ſubjecta fuit hæc inſula, gliſcente autem domi diſcordia, ſponte tanto labore partam deſeruerunt, abductis tamen Britannorum ſecum quos belli uſui aptiores Iudicabant, quorum pars in bello occubuit, pars fame & inediâ conſumpta, pars in Armoricam Galliæ ſe conferens, ſibi ſalutem & Provinciæ nomen dedit.

Deſertam utcunque Regionem Picti & Scoti

Scoti invadere contendunt, quorum ut resistant violentiæ electo in Regem Vortigerno Cornuvalliæ Comite, Saxonum sive Anglo Saxonum, cum promiscue illo nomine vocabantur bellicosæ in Germania gentis auxilium implorant: qui Hengisto & Horso ducibus cum novem admodum millium militum exercitu in Britanniam transvolant, quorum fortitudine Scoti & Picti conserto prælio vincuntur. Ex quo tanta crevit de Saxonibus opinio, ut Angelorum Cœlitus missorum instar haberentur; immò concessa insulæ parte in societam asciscerentur.

Vortigernus quoque formâ Rovenæ Hengisti filiæ captus in uxorem illam non difficilè impetravit. Haud parum eâ fortunâ Hengistus elatus jam Patriæ oblitus Regnum sibi in Britannia imaginabatur, evocatis igitur ex Saxonia suorum haud paucis, vi occupare hanc terram satagebat. Proceres vero Regni hæc cœpta præsagientes, Vortigernum uxorium planè Regem de sede deturbant, filiumque ejus Vortimerum Regem creant. Ille subito quantum militum poterat corripiens, prope Alesfortum hosti obviam profectus est, ubi singulari certamine hinc Catigernus Vortimeri, illinc Horsus Hengisti frater occubuere. Saxones verò totam Britanniam deserere adacti, vel in Thaneto, concesso illis territorio, quietem non invenere. Vortimerus autem cui suam libertatem Britannia de-

bebat

bebat quadrimo imperio jam perfunctus, à Rovena Vortigerni uxore veneno è medio tollitur, Procerésque ab astuta fæmina ut veterem Regem Vortigernum revocent, persuadentur, quo facto, Hengistus generi favore audacior, denuo conscripto exercitu invadere Britanniam tentat, non bellum se inferre Britannis, sed Rovenam petitum fœdusque æternum oblatum venisse, fallidè mentiens. Non displicuit fœderis fallax nomen, dictoque loco Britanni inermes; Saxones autem brevioribus gladiis sub vestibus occultis armati, conveniunt, quorum dolò gens imbellis haud difficilè opprimitur, trecenti nobiles occisi, Rex ipse captus libertatem postea Cantio, Sussexia, Suffolcia, & Norfolcia Provinciis redemit, ipse autem in Cambriam confugit. Saxones interea innumeri in Britanniam appulerunt, totamque pæne insulam ceu improvisa inundatione submergunt: donec Aurelius Ambrosius genere Romanus, cætera Britannis addictissimus, conflata popularium manu, in Britanniam appellit, & primo impetu Vortigernum Regem, malorum haud dubiè causam improvisò aggreditur; obsessumque in castello quodam, immisso igne cum ædificio consumit. Postea Saxonibus non uno prælio multum negotii facessit, tandem verò veneno à subornato quodam Saxone ipsi propinato, misere interimitur, postquam triginta duobus annis rebus Britannorum præfuerat.

Uter ipsi ad Regnum successit, vel ut quidam volunt Pendragonius Britannus, ita dictus quia in vexillis suis draconem aureo capite insignem circumferre gestiebat, etiam nunc Anglis gestamen honorum. Hic etiam diversis præliis Saxonum superbiam concussit, donec decimo octavo Regni anno injecto in puteum (cujus aquam quotidie bibere assuetus erat) toxico, & ille interficitur.

Arthurum ex formosa quadam & nobili fæmina Cornuvalliæ Ducis uxore natum, successorem habuit. Hic fortitudine insignis propria manu octingentos Saxones occidit, aliaque stupenda miracula edidit, nec non rotundæ tabulæ ordinem instituit, postea vero in acie saucius vigesimo sexto Regni anno occubuit.

Illum secutus est Constantinus hunc Aurelius Conanus Arthuri Nepos, Conanum Vortiporus, tunc Malgo Conanus, deinde Carelicus, Carelico successit Cadvanus, huic Cadwallo & Cadvalladar, qui Britannorum Regum ultimus fuit, avitum enim Regnum sponte deserens in Gallicam Britanniam trajecit, cujus absentiâ Saxonum animi usque adeo increvere, ut magnâ copiâ transvolantes, Britannorum suo Rege destitutorum vires attriverint, omnemque insulam facilè in suam potestatem redegerint. Quorum ferociæ dum resistere conatur Cadvalladar, Divinitus) ut creditur) admonitus, Romam profectus, & spi-

ſpiritualem vitam profeſſus eſt, obiitque monachus. Saxones jam rerum potiti in ſeptem Regiones totidemque Reges vaſtum hoc territorium diviſere, quorum tamen qui plurimum pollebat Anglorum Rex indigetabatur, ut in ipſa Heptarchia Monarchiam fuiſſe liquidò appareat. Et jam Chriſtiana Relligio haud parvam (ſublatis Ethnici erroris nebulis) Doctore Auguſtino Anglorum (ut dicebatur) Apoſtolo, incrementum fecerat, tantoque ardore hoc lumen ab Anglis accipiebatur, ut certatim nomen ſuum dederint, ſacra ædificia extruxerint, & Divina munia obierint.

Florentiſſima diu ſub hac Heptarchia Saxonum res fuit, donec gliſcente inteſtino bello in occiduorum Saxonum poteſtatem conceſſerit. Egbertus enim occiduorum Saxonum Rex cum quatuor Regna jam bello in ſuam poteſtatem redegerat, cæteraque duo jam ſpe devorabat, in Patriæ memoriam exuto Britannorum quin etiam Saxonum vocabulo, Anglos omnes incolas, terramque Angliam uno vocabulo dici juſſit.

Iam ad ſummum faſtigium Anglorum res perveniſſe videbatur, cum exitio ſuo proxima erat; Fallax adeo eſt omnium rerum humanarum facies, ut cum plurimum niteat, nutare credenda ſit. Dani enim jam pridem ad Angliæ littora piraticam facientes, facto tandem impetu hanc terram invadunt ducibus Angaro & Hubone, to-

tamque Regionem miserè populantur, nec sacris nec prophanis parcentes, quando Coldinghamensium Virginum sacrarum illustrissimum enituit exemplum, vel cum corporis dedecore, defensæ pudicitiæ. Nam debacchantium passim militum præsagientes violentiam, nares sibi & supremum labium amputarunt, ut monstro similes, impurám gentis incredulæ lasciviam mitigarent. Merciorum & orientalium Anglorum Reges ab his interempti sunt & eorum Regna cum haud ignobili Northumbriæ parte occupata, quorum tandem ut insolentia reprimeretur grave Tributum populo imperatum, quod *Dangelt* sivê *Danigelt* vulgo dicebatur.

Alfredo tandem occidentalium Saxonum Rege, masculè repelluntur, & Merciâ, tota exuuntur. Cujus victoriis Eduardus filius insistens orientalem Angliam pulsis Danis suo imperio subjecit. Adelstanus vero hujus filius nothus tantum illis terrorem incussit, ut non tantum Northumbriam verum totam Angliam ipsi cesserint, quin etiam nonnulli sese in ejus potestatem dederint. Ethelredo autem viro languido & ignavo Regnante, novo furore perciti, deintegro terram invadunt, populantur, & misere devastant, quo commoti Angli, initâ conspiratione, una nocte omnes Danos per universam insulam trucidant, tantumque incendium auctorum sanguine extinguunt. Sueno autem Danorum

rum Rex hac ſuorum ſtrage irritatus, ingenti exercitu Angliam invaſit. Ethelredum fugavit, totumque præterea ſibi Regnum obſequens reddidit, morteque ſuà ad filium Canutum tranſmiſit, qui variâ fortuna cum reduce Ethelredo Edmumdoque filio luctatus, duos filios ſucceſſores habuit. Haraldum Spurium, & Canutum audacem, hiſce vero obeuntibus, Regnum deintegro excuſſo Danorum jugo ad Anglos devolvitur, Eduardo Ethelredi filio ad Regiam dignitatem evécto. Nunc tandem reſpirare Anglia inceperat; Verum quod plerumque uſu venit, otia quibuſdam exitio fuere, ſacerdotes maximam partem parta quiete deſides omnia præter officium curabant. Populus, luxu ſolutior, inerti torpore vileſcebat, diſciplina exoluerat, Res publica variis vitiis intabeſcebat, ſuperbia paſſim, & incuria, rectam ad exitium ſemitam ſtraverant.

De Primo
REGE NORMANNO,
GULIELMO CONQUÆSTORE.

Anno 1067.

EDuardus Confeſſor, ultimò defunctus in Normannia degens, cjus Regionis duci Guljelmo ſi forte ſupremam diem clauderet Angliæ Regnum ut affini & conſanguinèo ſuo promiſerat, quanquiam ille Guljelmus Nothus ex Ruſtica

 puella

puella Roberto quidem Normanniæ Regi Patri, natus erat. Haroldus vero Godvini Cantiæ Comitis Filius, vir audax bellique ſtrenuus vacuam ſedem, non expectatq procerum conſenſu, ultrò occupavit, quamvis Toſto frater omnibus modis obniteretur, bellumque fratri moveret; conſerto autem prælio ad Eboracum periit. Guljelmus interea Normannus jure ſuo fretus conſcripto exercitu in Angliam ad Auſtrales Saxones appulerat, Haroldus audito ejus adventu, quanvis recenti certamine laſſato milite, ſigna, in hoſpitem Guljelmum convertit. Haud procul ab Haſtyngo acri prælio concurritur mutatâ vero Anglorum fortuna, Haroldus furore bellico percitus, medium ſeſe in objectos hoſtes inferens, fortiter pugnans occubuit, magnoque ſuorum numero mortuum ſeſe immiſcuit. Victor Guljelmus Victricia ſigna Londino mox intulit, & Rex à ſuperſtite populo ſalutatur, Regnum Divinitus ut ipſe ajebat ſibi deſtinatum jam juſtâ victoria adeptus. Rex (quod victoribus antiquum eſt) abolitis ſtatim Anglorum ritibus, legibuſque magnam partem, Patrios mores protinus induxit, juſſitque ut omnes qualeſcunque cauſæ Gallicè diſceptarentur: Angliſque qui arma contra ipſum geſtaverunt hæreditate excluſis, Dominia, prædia, agros, aliaque bona militibus in victoriæ præmium aſſignavit, ſervato tamen ſibi directo Dominio, obſequioque,

clien-

entelari sibi suisque successoribus jure
vincto, scilicet ut nullus præter Regem
ctus verusque esset Dominus. Sigillum
oque sibi ascivit, cujus primæ parti in-
iptum erat: *Hoc Normannorum Guljelmum
oſce patronum* alteræ autem parti:
Hoc Anglis signo Regem fatearis eundem.
corum ita subruta potentiâ, ad clerum
e convertit, edictoque sancivit nequis
onachus Anglus ad aliquam dignitatem
ularem eveheretur, Cnutonis quondam
gis facilitatem suggillans, qui victo à
populo integros honores servaverat, qua
itate incolæ ferocientes, advenas post
s mortem haud ægrè expulerunt, sibi-
e libertatem restituerunt.

Danorum deinde imminens bellum datâ
unia sedavit, ut scilicet qualicunque
etio sibi staret quies. Ex quo nullus dein-
Anglis ab infestis quondam Danis me-
Nec tamen adeo à turbis immunis
, quin hic aut illic à malè compresso &
ito populo tumultuatum sit, facile ta-
n ventosa factio oppressa est.

Cæteris omnibus autem gravior, quia
natura alienjor filii Roberti in Nor-
nnia rebellio fuit. Hic Philippo Gallia-
Rege instigante, hunc Ducatum ut
prium suum jus Patrem poscebat, &
acto Normannium infestis armis inva-
at. Verum quidem est Patrem hoc ipsi
itorium promisisse, filius vero moræ
olens, sperato Regimine diutius destitui

non poterat. Rex autem audito filii motu, subito ipsi cum instructissimo exercitu obviam profectus est, concurrunt prælio, filius Patrem ab equo deturbat, inflicto ipsi quoque in brachio vulnere, cum autem ex voce Patrem cognoverat, relicto & suo equo, ipse à terra senem erexit, atque ad ejus genua provolutus, veniam audaciæ suæ oravit, nec difficilè inter paternos amplexus, impetravit. Verum enimvero quanvis Patrem placasse videbatur, Divino tamen numine talia nunquam impunè prætermittente, omnia in posterum adversa habuit. Tali Clementia ad miraculum usque & aliàs emicuit Guljelmus, adversariorum suorum haud paucis (raro exemplo) ad supremas dignitates evectis, quasi sua lenitate ferocia ipsorum ingenia mitigare, & rebelles animos cicurare, conaretur, ut scilicet in benefactorem sui obsequio, uti ipse in hostes beneficiis clarescerent, & obedientiam ipsi, in quem impunè peccaverant, denegare erubescerent. Domitis ita quà beneficiis quà ferro rebellibus, latius jam extendere Regnum molitur, Cambria in potestatem suam redactâ, Scotiæque Rege Malcolmo facto sibi beneficiario, & adjectis ita novis regionibus, Angliæ gratiam pro concessâ Corona, retulit. Ne autem nimium recens domita subditorum protervia insolesceret, tributa, & stipendia quædam non admodum levia illis imperavit, legesque Gallica linguâ (in Patriæ decus)

us) disceptandas, composuit, Monacho-
um quoque superbiam frænavit. Cantij
oli veteres consuetudines retinuerunt.
Quippe Rex Doverium versus quodam die
er faciens à Cantiæ incolis avulsos arbo-
bus ramos gestantibus, lepidè circum-
entus est, à quibus haud primum dimis-
is quam veteres vivendi ritus ipsis con-
esserit. Londinensibus quoque sua pri-
ilegia, haud secus, atque Eduardi con-
essoris tempore fuerant, indulsit, sed nobi-
tati cervorum venatione interdixit, has
ilitias sibi soli reservans.

Rem Ecclesiasticam haud minus dispo-
iit, composita lite inter Eboracensem, &
Cantuariensem Archiepiscopos; illo huic
ibjecto, dictusque in posterum fuit Ebo-
censis Angliæ Primas, Cantuariensis ve-
ó Primas totius Angliæ. Scotiæ veró Ec-
esias Eboraco, haud secus ac Angliæ
antuariæ subjecit.

Quanvis autem Ecclesiasticorum inso-
ntiam reprimere videbatur, magno tamen
os loco habuit. Offensus enim Aldredus
boracensis Archiepiscopus, quia quæ pe-
bat non impetraverat, commoto animo
ire volebat, Rex autem ejus Præsulis o-
um non ferens ad genua ipsius provolu-
s, submissè veniam rogavit. Episcopus
Regem erigeret admonitus, minimè, in-
iit, sed quanti sit Divum Petrum offen-
, experiatur. Amplioribus autem benefi-
is amorem suum erga Ecclesiasticos exhi-

buit, innumeris ad divinos usus extructis, Templis, monasteriis, aliisque sacris ædificiis.

Sub finem vitæ Regnique sui, Robertum atque Henricum filios suos suppari potestate Normanniæ præfecerat. Exorta quodam die inter Henricum & Galliæ Delphinum Ludovicum, unà tabulis ludentes lis, acri utique dissidio inter Gallos & Normannos causam præbuit; attracto in partes suas Roberto, Gallus Conscripto exercitu Normanniam invasit. Guljelmus autem paratâ classe statim in Normanniam transvolavit, filioque Roberto haud difficilè ad obsequium reducto, Rotomagum ut & Gallis negotium facesseret, profectus est. Ubi ex labore cum valdè obesus erat, defatigatus, paulum substitit. Gallus autem Guljelmum ægrotantem, & obesum ejus ventrem suggillans, *à puerperio illum decumbere*, Iocosé asseruit. Guljelmus autem cum hoc ad illum deferebatur scomma, *immo verò* inquit, *si forte ab hoc puerperio reconvalescam mille lumina in gratiarum actionem Divino numini accendam.* Nec diu, invaso Galli territorio, flamma ferroque omnia populatus est. Brevi autem post in eandem imbecillitatem incidens, vitam tandem Rotomagi efflavit. Defunctum non tantum deseruit, verum etiam spoliavit familia. Nec sine infortunio ter relictum ejus cadaver, in sepulcrum tandem suum, nec dum integrum demissum est.

GU-

GULIELMUS SECUNDUS,

ANGLORUM REX.

Anno 1088.

SUccessit Patri Guljelmus cognomento Rufus filiorum tertius. Principium ejus egni molestum & turbidum fuit, infenso b præreptam successionem fratre Roberto, divisâque atque in ejus exitium conjuratâ nobilitate; verum quà prælio, quà vi, uà beneficiis pacatis omnibus, hoc se periulo expediit.

Gravius autem discrimen minabatur ex cotia imminens tempestas: Malcolmus nim Scotorum Rex Anglo quanvis beneiciarius, inter tot turbas rei bene gerenæ occasionem aucupans, gravi impetu Jorthumbriam arripuit, ferroque flammâue obvia quæque devastavit, spoliisque nustus in Patriam rediit. Guljelmus auem instructo exercitu invasit Scotiam, & Malcolmum debellatum ad obsequium andem reduxit, & in securitatem obsides are compulit.

Robertus Regis frater, ob non solutum fratre quod promiserat prætium, denuò ellum eidem indixit, Galliæque Rege paribus implicito, oppida quædam quæ fraerni juris erant bello arripuit. Guljelmus utem, corrupto prætio Galliæ Regè, auxiio adeo destitutum fratrem haud difficilè d veniam protervie suæ rogandum adegit.

Ut verò ordine omnia fierent Malcolmus sua vice, arrepta ex Angli contemptu bellandi occasione, novâ injuriâ Guljelmum, deprædato ejus territorio, lacessivit. Cum vero spoliis gravis jam reditum meditabatur, insidiis forte interceptus suâ cum præda occubuit.

Nec tamen turbarum finis fuit, Cambro Britanni enim, implicitum turbis Regem adorti, obvias ejus terras depopulantur, quos secundo prælio tandem Guljelmus domuit.

Robertus intereà Mombrajus cujus fortitudine Malcolmus victus erat, se contemni, aut sicuti par erat haud Æstimari ratus, quibusdam aliis Magnatibus in societatem accitis, in Regem suum exurgit; Rex autem subitò conjuratorum manum adortus facilè tumultuarium bellum capto Mombrajo finivit; verum ne de integro oppressa utcunque CambroBritannorum pervicacia majore cum periculo postea resurgeret, in totum domare eos Guljelmus jam conatur, invaso eorum Regno, & castellis erectis, cum autem in prolixum hoc bellum producebatur, re Hugoni Salopiensi, nec non Cestriæ comitibus commendata ipse abiit, qui crudeliter Cambriæ incolas præcisis naribus auribusque; habuerunt, donec occiso Salopiensi Comite, Hugo Cestriæ Comes, interempto Cambriæ Rege, plenam de iis victoriam retulerit.

Vivente Lanfranco Cantuariensi Archie-

hiepiſcopo, ceu fræno gubernabatur, illo
ero poſtea defuncto, quaſi omnibus ſolu-
is clauſtris, oppreſſa re Eccleſiaſtica, im-
nodicis tributis duriſque legibus, mirum
n modum debachari cœpit: jam primitus
uncta vel Eccleſiaſtica munia venalia, nihil
on prætio licitum. Nec tamen in totum
eneficiorum expers fuit hujus Tyrannis,
onceſſo pauperi monacho gratis, de quo
luo alii magna contentione, graviquc ar-
gento, licebantur, munere quodam.

Quæ tamen vitia mira animi magnitu-
line compenſabantur, audita enim Mantii
ppidi obſidione, perrupto muro quo ci-
ius adeſſet, ſequentibus ſolummodo quos
dem pellebat animi ardor, nec non con-
empto rigidi maris periculo, improviſus
dfuit, urbemque fugato hoſte captoque
orum duce Helia Fleſciæ Comite, libe-
avit. Ille Comes cum ſe captivum videret,
mproviſo Regis adventui hoc ſuum infor-
unium imputans immò grave Regi ſi di-
nitteretur exitium interminatus, protinus
inculis, ut rerum ſuarum ſatageret, ſolvi-
ur.

Rarum quoque inſignis fortitudinis ex-
emplum præbuit, ad Caſtellum quod Divi
Michaelis Mons indigetatur, tribus de im-
proviſo equitibus arreptus, & quanvis de e-
quo jam ſuo deturbatus erat, ephippio ſuo,
clypei loco, ſtrictoque gladio, maſculè ſeſe
defendit, donec à ſuis liberatur. Cum ni-
miam ejus pro ephippio curam ſocii incre-
pabant

pabant, *immo vero* inquit *citius occubuissem quam illud ipsorum contemptui reliquissem.*

Fide inviolabilis fuit, continentiâ autem medius, Relligionem nec contemptui nec venerationi habuit, avaritiâ autem infamis. Hic primus Anglorum Regum in Sacerdotum delicta animadvertere voluit, sibique pœnam reservavit, neglecto Romano Pontifice.

Tandem venationi intentus, telo à cervi tergo resultante infeliciter occisus est, prævisis sed neglectis infaustæ mortis auguriis.

HENRICUS PRIMUS,

ANGLORUM REX.

Anno 1101.

FRatri successit Henricus Primus, Rege, non duce Patre Guljelmo in Anglia natus. Qui absente fratre suo seniore Roberto, Regnum sive invasit, sive prætio redemit, sive populari favore adeptus est, doctrinâ quippe omnibus fratribus melior, & adeo populo charior erat. Dolo partum Regnum beneficiis, comitate, justisque suppliciis asseruit, doctos ubique viros sacris præsertim muneribus præfecit. Indoctos & indignos suo loco movit, rigidiores mitigavit leges, & dura tributa abolevit. Venandi impunitatem nobilibus concessit, atque adeo beneficiis sibi omnes propitiavit, quin etiam cum infestos Scotorum noverat animos, pace cum illis stabilita, Matildem ne vinculum

ulum deesset Edgardi Regis sororem, u-
orem duxit. Quod & Patri fratribusque
ontigit, prima belli auspicia à suo ipsius
nguine habuit. Instigatore nimirum Dur-
amensi Episcopo (quem immodicorum
ibutorum auctorem in vincula conjece-
t) incuriâ observatorum elapso, fra-
r Robertus Normanniæ dux ad bellum
enrico inferendum, jusque suum re-
mendum impellitur. Iam Angliæ arma
obertus induxerat, prælioque dies dictus
at, quando missis hinc & inde caduceato-
ous, pax tandem sancitur, concessis Ro-
rto annuatim viginti florenorum milli-
s, nec non Regni datâ spe si Henrico fra-
supervixerit.

Huic vix discusso periculo alterum su-
venit, Robertus enim Belemius Salo-
nsis Comes, nulla aliâ quam invidiæ
ısa, allectis in societatem Cambris, bel-
1 contra Regem movit. Nec hic mora-
conscripto subito exercitu, fugatis
mbris, Robertum intercepit, omnique
unâ multatum in exilium relegavit.
s enim perduelles morte puniendi, non-
n invaluerat.

Tertius à Guljelmo Mortaniæ, & Cornu-
iæ Comite Regis Patruo impetus in-
it. Ille ob negatum Cantiæ Comitatum
nato infensus, insidiis ad se pertrahere
onem molitur. Dolo autem detecto pro
quem affectabat comitatu, duos quos
s habuerat amisit.

Hen-

Henricus vero hactenus defensor, jam ultrò fratri Roberto bellum infert, dicterio nimirum quodam offensus, collectoque exercitu Normanniam invasit, totamque, vix Rotomago urbe fratri reliqua, in suam redegit potestatem, atque adeo in Angliam rediit. Robertus vero cujus severitatem expertus erat, ejusdem mansuetudinem tentare certus, in Angliam fratrem secutus est, & supplex veniam protervitæ suæ oravit. Henricus verò sive recenti injuriâ etiamnum offensus, sive Normanniæ Ducatum affectans, preces fratremque neglexit. Robertus vero non patiens contemptum, in Normanniam rediit, & denuo conscripto exercitu fratri bellum movit; qui mature justis copiis super veniens, crescens malum providè, non tamen sine sanguine oppressit, fratremque captivum in Angliam duxit, & usque ad mortem, effossis oculis, carceri damnavit.

Ex hac fortuna magnificentiam, ex magnificentia invidiam conflavit. Fulco enim Andegavensis Dux, Baldovinus Flandriæ Comes & Ludovicus cognomento Grossus Galliæ Rex, inito fœdere & sociatis viribus, Guljelmo Roberti filio avitas terras restituere nituntur. Mox vero suas copias Henricus Normanniæ induxit, & conserto prælio profligato Gallo, posteaque diversimodè tentatâ fortunâ, pax tandem inter Andegavensem & Henricum stabilitur, quæ Matrimonio inter Guljelmum

n Regis filium & Andegavensis filiam,
firmatur. Pax quoque postea inter am-
Reges secuta est, concesso Guljelmo
rici filio beneficiario jure Normanniæ
atu, quo more invalescente, omnes po-
Anglorum Regum primogeniti Nor-
niæ Duces audiebant. Carolo autem
ndriæ comite Bruxellis nefariè occiso,
o alio relicto Hærede, Guljelmus Ro-
i filius, ad quem proximo jure pertine-
(quippe qui ex Baldovini filia Mathil-
Guljelmi Conquæstoris uxore sangui-
ducebat) ad illam evehitur dignita-
, qui hac fortuna insolescens, Norman-
n avitum patrimonium recuperare sta-
, quod etiam Regis Galliæ auxilio non
cilè perfecit, accepto vero in altera
u vulnere, leviusculo quidem, sed po-
recrudescente, vitam cum patrimonio
sit.

ace quidem foris stabilita Henricus in-
nis motibus domi tamen jactabatur,
jurata in rebellionem Cambriâ, quà
perduelles insequitur errore ad angu-
perductus, mille tum bobus tum ovi-
transitum, non sine discrimine rede-
Atque hæc tam domestica quam ex-
ea ejus bella fuere.

Tributa nulla aut rara imperavit. Leges
las nisi bonas tulit. Primus ordinum
cessum quod hodie Parliamentum in-
itant, instituit. Latrones, uti & mone-
adulteratores gravi suplicio affecit. Ius

papale

Papale in suo Regno imminuit, litesque in Anglia decisas se inscio & invito Romæ retractari vetuit, nequicquam reclamante Pontifice, verum de muneribus Ecclesiasticis gravior nata est controversia, acriter utroque sua jura defendente, Rex tamen Papa susque deque habito, facultatem munia destribuendi & confirmandi penes se retinuit.

Luxuriâ si nimius, delectu tamen nobilit fuit, non unicuique datâ amoris sui copia.

Legitimos filios nullos, spurios diversos habuit, quapropter omnibus modis Regnum in Mathilde, & ejus filiabus asserere studuit sed frustra, succedente Stephano, ex Adela Guljelmi conquæstoris filia Genito, exclusâ Mathilde uxore & filia, quæ Henrico quarto Romanorum Imperator primitus, & eo defuncto, Gaufredo Plantagenetæ Fulconis Andegavensis Ducis filio, nupsit.

Contracta denique ex lite quadam cum Andium Duce animi ægritudine, quam sequebatur corporis ex anguillarum nimio usu imbecillitas & ardens febris, vitam tandem, triginta & quinque annorum Regimine perfunctus efflavit, Normannorum Regum ultimus.

STEPHANUS
REX ANGLORUM.

nno 1136.

Efuncto Henrico, Stephanus antici-
pato jure & morante fratre seniore,
us occupans successit. Anglos quâ
aissis quâ benevolentiâ sibi propitians,
dente etiam hæreditatis testimonio.
ıum promissis occupatum eâdem be-
lentiâ asserere conatus est. Derogatis
itorum gravissimis, quin etiam con-
Ecclesiasticis suo jure, quod penes se
res Reges retinuerant, immo à Magi-
us obsequio liberos esse voluit Eccle-
cos, quibus populum & Ecclesiam,
litatem vero data venandi impunitate,
stella extuendi licentiâ sibi concilia-
Theobaldum fratrem qui nativitatis
ad Regnum proximus erat, annuo
ıdio placavit.

ıstachio deinde filio, quo etiam exte-
n benevolentiam aucuparetur, Con-
iam Ludovici Galliarum Regis filiam,
em impetravit, nec tamen magis illa
tate quam Thesauris Henrici Regis
ıum sibi stabilivit, quos non luxui sed
cribendis militibus, & bello gerendo
ndit.

gno vix inauguratus, ad arma se cõver-
adactus est. David enim Scotiæ Rex,
nperatricis Mathildis asserere nitens,
bellum

bellum Stephano indixit. Et oppida Carliolum, & novum castrum sui juris fecit. Stephanus cum magno ipsi exercitu obviam profectus, concesso Davidi Cumberlandiæ, filioque ipsius Huntingtoniæ Comitatibus, imminentem tempestatem, sine sanguine avertit.

Nec diu, intestinis atque eo gravioribus motibus conflictabatur, cùm enim sanitatis dubiæ erat, mortuus à quibusdam dicebatur, quo nobiles, suis castellis in Regis perniciem abutentes, inita conjuratione, regnum occupare satagunt. Stephanus ne morâ periculum invalesceret, quà ducibus suis, quà sua ipsius manu audaculos oppressit. Contra Baldovinum conjuratorum antesignanum ipse profectus est, Oxoniâque expulsum, Vectem insulam versus insequitur quâ etiam exactum perpetuo exilio multavit. Vix demum partam quietem extraneum rursus bellum turbavit. Gaufredus enim Plantageneta Mathildis uxoris titulo fretus, Normanniam infestis armis invasit, avitumque territorium sui juris facere studuit. Stephanus conscripto ocyus exercitu eò transvolavit, variis sed levioribus prœliis dubiâque victoriâ perfuncti, in conditiones consenserunt, ut nimirum solutis annuatim Gaufredo triginta quinque florenorum millibus, ipse suo jure & titulo in perpetuum abstineret.

Redux autem bello & tumultibus plenum offendit Regnum, nam nobiles cum

omiſſa Rex non ſolveret, conjurationem
eunt, & in ſua quiſque ditione bellum
rant. David quoque Scotiæ Rex foederis
oblitus, Northumbriam aggreditur, &
ro flammâque omnia miſere devaſtavit,
c fæminis, nec innocuæ infantium æta-
læ parcitum, vel ante aras Sacerdotes
icidantur, in ipſis templis ſacræ conſtu-
intur Virgines.
Rex graviori periculo occurrens, in Sco-
s, ut eorum inſolentiam reprimeret, ar-
prius convertit. Cum autem in longum
endebatur bellum, data Thruſtino Ebo-
enſi Archiepiſcopo bellum cum Scotis
endi, provinciâ, ipſe domum profectus
,ut cæteros perduelles opprimeret. Quos
n armis, tum promiſſis, tum benevolentiâ
obſequium tandem perduxit. Thruſtinus
em interea conſerto prælio Scotos devi-
magnamque illis ſtragem intulit, unde-
n enim Scotorum millia in acie occiſa,
eptis illis qui in ipſa fuga oppreſſi ſunt.
o ſucceſſu audacior Rex jam Scotiæ bel-
n infert, gravique jacturâ Davidem affe-
, & ad petendam pacem compulit, in
am tandem conſenſit, accepto obſide
nrico Davidis filio: Redux vero Stepha-
Ludlow oppidum, perduellium rece-
culum, obſidione cinxit, & ab immi-
nti periculo vadem Henricum ſua ipſius
nu vindicavit.
Hanc fortunam omnium immaniſſima
uebatur tempeſtas. Mathilde enim ſuâ
jura

jura repetens in Angliam appulit, quo audito, Stephanus in Castello Arundeliensi quò forte se receperat, eam obsedit. Desperata autem expugnatione, ultro conclamatis vasis, castra solvit, data Mathildi Brustum versus aufugiendi opportunitate.

Lincolniam autem à Ranulpho Roberti Glocestriæ Comitis filio interea captam Ocyus movit, urbemque obsidione cinxit, Cestriæ interea & Glocestriæ Comites urbis liberationem meditati, confertâ manu cum Stephano præliantur, quo prælio, post stupenda quæ dederat miræ fortitudinis argumenta, Stephanus tandem capitur, & Mathildi sistitur, quæ Brustum versus eum in custodiam misit. Occupato interea regno Londinum victrix & ovans ingreditur.

Mauda vero sive Mathilde Stephani uxor, audito Regis infortunio, supplex Mathildem rogavit, ut sibi jam pridem Regiminis pertesæ, cum marito liceret privata vitâ frui. Londinenses quoque antiquas leges, quas regnante Eduardo habuerant reposcebant, neutrum vero Mathilde concessit. Mauda elatum Mathildis animum non ferens, & ignobile servitium exhorrescens, Eustachium filium suum cum delecta militum manu, ex Cantia Londinum evocavit, qui cum ipsis Londinensibus, ob denegatas preces mire offensis, quinetiam Vinocestriæ Episcopo sociatis viribus, Mathildis copias aggrediuntur, quæ clam Oxoniam aufugit, & Davidis Scotorum Regis auxilium,

non

on frustra imploravit cujus jam aucta viri-
us Vinocestriam obsedit. Regina autem,
m filio Eustachio & infensis Londinen-
bus ipsius castra adorta, conserta acie
athildem vicit, & Robertum filium Ma-
ildis cepit, Mathilde autem feliciter eva-
. Hanc fortunam sequebatur, tracta-
de pace quâ hinc Robertus illinc Ste-
anus libertati restituuntur, in aliam au-
n conditionem nequaquam consensum.
bellum itaque rursus datur classicum,
Stephanus jam sui juris Oxoniæ Mathil-
n obsedit, illa autem periculum asper-
a, per media castra noctu evasit. Præsen-
tamen discrimine adeo territa est ut in
terum bello prorsus abstinuerit, relicta
Henrico rerum curâ.
Lincolnia interea fortiter adversus Re-
à Cestriæ Comite defendebatur. Ultrò
en postea Regis se partibus addixit,
citiam affectans. Stephanus autem mi-
comiter illum habuit, omnique for-
infelicem multavit; quâ perjuria sub-
rum animos haud parum abalienavit.
nricus morte Patris Gaufredi Andium
atum nec non Aquitaniæ & cum uxo-
leonora Pictonum Comitatus, adep-
novo impetu sed paucis militibus in
liam appulit, avitum recuperare Reg-
tandem sperans. Nec citius terram
cendit, quam affluentibus undique
is, novoque auxilio stipatus, Marle-
o obsidionem meditatur, Rex vero

cum majoribus viribus superveniens inferiorem illum fugavit.

At quod jure mireris, inter strictos ubique gladios pacis tandem nitor effulsit. Stephanus quam victoriis non poterat, jacturâ quietem adeptus est, & Henricus quod bello quæsiverat Regnum ipsa pace impetravit. Dum enim hinc & inde pari studio bellum geritur, Eustachius subitò supremum clausit diem, & Stephanus successore & hærede orbus, luctu nimirum domitus pacis conditiones haud invitus cum Henrico & Mathilde inivit. Quibus hostem suum (cum nullum sanguine sibi propiorem habebat) successorem nominavit, & in filium adoptavit, tam nulla est rebus humanis fides & constantia, qui conserta acie non pridem concurrebant, in amplexus ruunt, Stephanus amissum filium in hoste suo recuparavit. Et Henricus cum bello tantum Regnum quærebat, pace & Regnum & patrem invenit.

Turbulentior erat res Anglica quam ut tributum à subditis Stephanus impetraret hunc tamen defectum perduellium bonis in fiscum redactis abundè repensavit. Leges admodum nullas tulit, cùm continuo bello & periculo videbatur magis accepturus quam daturus. Nullam autem majorem victoriam, quam in Ecclesiasticos habuit, quorum pervicaciam, & superbiam in ordinem redegit, verosque subjectos fecit. Qui turbis & bello vixerat non debe-

bat

non quiete & incuriâ mori, vix enim
em cum Henrico inivetat, quin antiquo
hæmorrhoidum morbo, & Colico do-
novō correptus, nondum annum bellis
superstes, Doverii decessit.
Anno 1154.

IENRICUS SECUNDUS
ANGLIÆ REX.

Anno 1155.

MOrtuo tandem Stephano, Henricus Andegavensium Dux, uti inter m & Stephanum convenerat ad Reg-n successit. Prudenter Regni sui initio essit, Sapientissimis viris in consilium tis, sugatis, qui prædandi spe advo-rant exteris, præcipuè Flandris, de-itis quas nobiles connivente Stepha-extruxerant, arcibus, quibus in sedi-em haud raró abusi fuerant. Leges quo-quæ flagrante bello vitium fecerant, ad rem normam reduxit, perjuros quos-in exilium pulsit nobiles. Prædia m Stephani licentia ad immeritos de-ta erant, ad se pertraxit, atque adeo tri-s pepercit, tutius paucos quam univer-offendere ratus. Competitores nullos odum habuit, & proinde tutior ab in-ionibus, & rebellionibus fuit. Cambro-anni tamen nonnullo motu debac-ti sunt, haud citius verò resurgentes m oppressi. Malcolmo Scotiæ Regi bel-

lum ultrò intulit concessamque a Stephano Northumbriam, Carliolum urbem, & Novum castrum vi extorsit.

Huntingtoniam in defuncti Regis Davidis gratiam benificiario jure ipsi reliquit. Fratri Gaufredo Andium Ducatum, quem rogante patre ipsi dederat, post patris mortem, indulgente Pontifice Maximo Sacramenti fracturam, vi eripuit.

Deinde RaymundoDivi Ægidii fani Comiti, Tholosatium Dominatum, jure ad se pertinentem auferre conatur, cumque Galliarum Rex Ludovicus Raymundo suppetias iverat, Bellum utrimque paratur. Iamque ad prælium incendebantur copiæ, quando intercedentibus amicis, pax tandem sancita, & Tholosatium Comitatus Raymundo in tempus concessus est, accedente matrimonio inter Henricum Regis Angliæ natum & Margaritam Ludovici filiam.

Si hactenus omnia prudentur, nunc stultè sua curabat negotia, assumpto in Regni societatem Henrico Filio. Ludovicus enim ignaviam generi suggillans, quod nimirum parem patrem in Regno pateretur, & adeo nomine duntaxat Rex audiret, juvenilem atque adeo ardoribus istiusmodi aptum animum illicitis desideriis facilé inflammavit. Iam in apertum odium eruperat hæc invidia, jam quæcunque pater diceret & faceret filius cavillari. nec latebat patrem filii ingratitudo, missis itaque nunciis

ad

Ludovicum, ſurgentia illa diſſidii pri-
ordia extinguere & opprimere conatus
t. Ipſe autem Ludovicus verba Legàto-
m deriſui habens, quid illum Magiſtrum
um dicerent qui ultrò jus ſuum filio tra-
lerat, ignominioſè rogabat, atque ita ſine
o reſponſo eos dimiſit. Acceſſerat Regi-
e Eleonoræ ob Regis in pellices amorem
vidia, quâ cæteros ſuos filios Richardum
Gaufredum inſtigavit, ut nimirum fratri
verſus patrem ſuppetias irent.
Hic in Normanniam adHenricum confu-
entes ſociatis viribus in patrem ſuum
njurant. quin etiam Guljelmus, Scotiæ
x, Hugo CeſtriæComes, Rogerius Mom-
ajus & Hugo Bigotus aliique deficiunt,
ibus audacior Henricus incrementis,
n apertum patri bellum meditatur. Di-
ſâ Fortuna quà dolo, quà virtute ſæpius
gnatur. Richardus verò qui a patre de-
erat, erroris pœnitentiâ ductus, ad ipſum
iit veniamque facinoris rogavit, nec dif-
lè impetravit, tandem captis rebellium
nnullis, Scotoque domito, pax mediante.
hardo, inter patrem filiumque ſtabili-
, deſponſatâ Richardo Adelâ Ludovici
â. Atque adeo in Angliam cum ſuis fi-
Henricus rediit, ubi Henricus tandem
orum ſenior obiit, viduaque ejus rurſus
Galliam ad patrem mittitur, quæ Hunga-
Regi poſtea nupſit.
Richardus vero matrimonium ſuum dif-
ri ægrè ferens (pater enim illicitâ concu-

piſcentia ardens, Adelam ſibi ſervare creditus, continuè illud procraſtinabat) in eam quam non pridem ejuraverat defectionem rurſus incidit, initâque cum fratre Iohanne, & Philippo jam Galliæ Rege conſpiratione, patri bellum infert, Maguntiæque ſenem Regem obſidet, quo noctu elapſo, & urbis liberationem in caſſum meditante, oppidum tandem hoſtium in manus traditur, graviori jacturâ, quia in illo Rex Henricus natus erat. Quapropter, ſive fractâ potentia ſive ob nativæ urbis amiſſionem offuſcata Majeſtate, ipſe qui hactenus leges dederat jam pacis leges ab hoſtibus petere coactus eſt. Atque hæc ſunt bella ab eo geſta.

Hic Rex Hiberniam ſine ſanguine in poteſtatem ſuam redegit, jubente Hadriano Pontifice, Anglo, & magnificum palatium Dublini in poſteritatis uſum, extruxit.

Confiſcationibus & parcimoniâ magis quam vectigalibus & tributis ærarium ſuum auxit. Quia filios parce nimis habebat, defectionis cauſam illis præbuiſſe creditur, ingenti vero poſt mortem relicto Theſauro, quam paſſi erant inediam, abunde penſavit.

Legum ſeveritatem initio Regni ſui præcidit nonnihil, novaque ſubditorum in uſum tribunalia ordinavit, primuſque leones in Turri Londinenſi ſervari vivos juſſit, quæ conſuetudo ad hæc uſque tempora continuatur.

Clerum

Clerum Magiſtratui ſubjecit, quanvis Thomas Beccetus acriter obniteretur, qui ob id in exilium pulſus, Pontificis, & Galliarum Regis interceſſione in gratiam tandem recipitur, at cum tamen Regis voluntati aſſentire detrectaret, in templo a quatuor equitibus miſere interficitur, verùm Divinis poſt mortem honoribus in Divorum numerum relatus eſt. Perditæ erat Henricus luxuriæ, & pellicum amore implicitus, offenſam ſemper uxorem habuit quam etiam in carcerem detruſit, quia filios ſuos in rebellionem ſubornaverat.

A Rege Galliæ proditorum qui ejus vitæ inſidiati fuerant cathalogus ipſi mittebatur, cùmque omnium primum Iohannis filii ſui junioris nomen conſpiceret, luctu ſemianimis concidit, & poſtea invaleſcente malo, extinctus eſt, ætate plus quam ſexagenarius, poſtquam Angliæ Regimini triginta & quinque annis præfuerat.

RICHARDUS PRIMUS, ANGLIÆ REX.

Anno 1189.

HIc Weſtmonaſterii 3 Sept. Anno 1189. Regno inauguratus eſt. Die nimirum Judæorum ſtrage fortuitâ notabili, quorum inſolentiam data licentiâ inviſum illud hominum genus averruncandi, plus ſatis conpeſcuit. Beneficiis in matrem fratremque claruit, illa in ſocietatem quaſi Regni aſ-

ſumptâ, hoc ſex ſimul Comitatibus aucto. Adelam ſibi pridem deſponſatam tamen ut pellicem patris, non ſine virginitatis prætio in patriam remiſit, atque illius loco ne inceſto connubio paternum inquinaret torum, Berengariam Garſiæ Navarræ Regis filiam uxorem duxit.

Meditatam pridem in palæſtinam expeditionem nunc tandem exequi ſtatuit. Corraſis undique maximis theſauris, ex venditis privilegiis, Dominiis, immunitatibus, & urbibus, vix ipſo oppido Londino a tali nundinatione libero. Angliæ Regnum dum abeſſet, Hugoni Baldulpho Durhamenſi Epiſcopo, quin & Guljelmo Prunello, & Guljelmo Longoſcampio Regni Cãcellario data unicuique ſua regione, credidit. Normanniæ & Aquitaniæ Robertum Lyceſtriæ Comitem, incorruptæ fidei virum præfecit. Ut autem Iohannis fratris ſui ambitioni præcaveret, in Normanniam ipſum relegare animum induxerat, intercedente verò matre, & vadem ſeſe pro fide ipſius interponente, in Anglia remanſit. nominato denique Arthuro fratris Gaufredi filio ſucceſſore ſuo, ſi forte in hac expeditione obiret, iter ſuum ingreſſus eſt.

Richardus ita quinque equitum & triginta peditum millibus ſtipatus expeditionem aggreditur, ipſe terreſtri itinere per Galliam Maſſiliam cum delectis militum venit, claſſem quæ interea vela fecerat ea in urbe expectaturus & conſcenſurus, adverſa vero

vero cum tempeſtate diutius luctata ſe-
s appulit, quapropter moræ inſolens,
nductis navibus Meſſanam verſus iter
m inſtituit, quò jam paulò ante Philip-
Galliæ Rex cum ſuâ claſſe advenerat.
ndem quoque Anglorum naves appule-
Humaniter ad ſpeciem a Tancredo
iliæ Rege excipiuntur, verum ille ob ve-
quoddam diſſidium Richardo parum
icus, inſidias illi Angliſque omnibus
xit, & conjurata civium manu, oppido
m & illius milites excluſit. quâ injuria
nſus Richardus, urbem armatâ manu
rtus, haud difficilè in ſuam poteſta-
redegit, magnamque civibus Re-
ue ſtragem intuliſſet, niſi ſoluta quam
annæ Richardi ſorori Guljelmo defun-
Siciliæ Regi nuptæ, injuſte detinuerat
e, filiâque ſua Arthuro Richardi ne-
i deſponſatâ, ipſius iram placaſſet. Phi-
us Galliarum Rex primus vela fecit, &
lemaida pervenit, quam urbem longa
dione Chriſtiani cinxerant, quibus ipſe
aſque copias adjunxit. Richardus & po-
centum & nonaginta navium & quin-
ginta triremium claſſe inſtructus littora
it. adverſo verò vento in Cyprum de-
itur, quam inſulam, cùm incolæ a terra
m arcerent, armatâ manu invaſit, ſui-
juris fecit & relictis cum præſidio Ri-
do Canvilio, & Roberto Turnhamio,
ipſe Ptolemaida verſus navigavit. quæ
dem urbs biennio obſeſſa, in Chriſtia-

 norum

norum manus a Saladino traditur.

Alias etiam urbes, in poteſtatem ſuam redegit. quibus omnibus neglectis, Ioppen ſolam præſidio firmavit. Guido Luſinianus interea Tyrum & cum ea Hieroſolymitani Regis titulum invaſit. Quem Poſtea cum Cypri Regno commutavit. Atque exinde Angli Reges longo tempore Reges Hieroſolymitani audiverunt. Philippus vero Richardi gloriam non ferens, & illi quia aſſequi ejus virtutem non poterat, æmulatione offenſus, neglecto bello in Galliam renavigavit, relicta Odoni Burgundiæ Duci Provinciâ bellum ſe abſente cum Saladino gerendi, nec tamen prius a Richardo dimittitur quam jure jurando promiſerat, ſe abſente Richardo, ipſius provinciis nullum negotium moliturum. Verum enimvero haud citius domum reverſus eſt, quam Normanniam contrà jus faſque invaſit. Quâ injuriâ offenſus tum etiam decedente cum ſuis copiis Odone plus ſatis infirmatus, domuitionem Richardus meditatur, iniquis conditionibus a Saladino pace redemtâ. Claſſe ejus maritimum iter ingreſſâ, ipſe ſolus terreſtri, per Dalmatiam in Germaniam, & tandem Viennam pervenit, ubi quamvis ignotus deliteſcere cupiebat, tandem agnitus, a Leopoldo Auſtriæ Archiduce ob injuriam in expugnatione Ptolemaidis ipſi illatam Anglo infenſo, in cuſtodiam conjectus, rogantique Imperatori miſſus, libertatem ſuam poſt gravem captivita-

itatem ingenti lytro redimere coactus
t. Quæ injuria postmodum Imperatori
tâ, Leopoldo fracto prius, & postea
nisso crure stetit. Ille vero adeo post qua-
iennium in Regnum suum rediit.

Turbulentum & dissidiis implicitum
egnum suum offendit. Guljelmus enim
ongoscampus Elyensis Episcopus penes
em absente Rege rerum quasi summa,
nto muneri insuetus (quanvis & secus
rum suarum sategisset) nimia superbiâ
solescebat. Ex quo ipsi cum Iohanne Du-
,Regis fratre nata est controversia,juvan-
etiam Rege fatris partes. Quo munere
o tandem exauctoratur, suffecto in ejus
cum Rotomagensi Archiepiscopo. Reg-
itaque, cum obsistere diutius non pos-
:, excedere cogitat muliebri veste tectus,
nitus vero, ab ipsis mulieribus in vindic-
n mentiti sexus, graviter multatus est,
que adeo pudibundus in Normanniam
Richardum Regem confugit, apud
em de illata sibi injuria conquestus, fru-
a amissam dignitatem recuperare stu-
it.

hilippus quoq; Galliarum Rex Norman-
am secus quam promiserat armatâ manu
vasit. Iohannem Regis Fratrem in partes
as pertrahere nitebatur sed frustra, dis-
adente matre Aleonora. Sed quanvis pa-
m fratri nullum facesseret negotium, clam
men, falso per Angliam de Regis morte
arso rumore, Regnum illi extorquere

conatur, quo postea omnem fratris gratiam cum dignitate amisit. Rex deinde Philippo magna classe obviam profectus est, urbemque Vernolium primitus, & postea Vindocinum obsidione ejus liberavit, adeò festinantur, ut relictis præ metu omnibus impedimentis, Gallus aufugeret. Induciis tandem inter utrumque pactis, non sine tædio a bello abstinere coguntur.

Variis interea Regnum ejus motibus conflictabatur. Latronum, primò, quorum auctore interempto, facilè opprimitur illa factio. secundò graviori motu a Iudæis ex uno qui avitam superstitionem ejuraverat nato, offensi enim cæteri Iudæi qui in errore suo persistentes, conversum fratrem ægrè ferebant, in publica eum via adoriuntur & graviter multant, ex quo factio primitus, deinde tumultus, & Iudæorum passim cædes. Nec unico oppido claudebatur hic furor, sed extra limites sparsus Stamfortium primò deinde Lincolniam oppidum quin & Eboracum invasit, ubi in arcem confugientes Iudæi, mactatis fœdè primitus uxoribus & liberis & per fenestras in subjectos hostes eorum proturbatis cadaveribus, injecta pyrio pulveri igne, omnes penè simul una morte, diro pervicaciæ exemplo, interiverunt.

Ultimò motu magis (incertum) an avaritiæ supplicio infestatus Rex, omnibus suis calamitatibus finem invenit. Miles quidam qui Richardo stipendia faciebat fortè fortu-

fortunâ ingentem invenerat thesaurum, & metuens, ne Rex sibi illum quæreret, in Lemovices se recepit, & Calaco Oppido clausit. Rex de ea re admonitus, eum, thesaurum repetiturus insequitur, oppidumque; cum intromittere Regem detrectarent oppidani, obsidione cinxit, qua, recepto in Brachio suo vulnere, paulò post, sed expugnata urbe, nec dum invento thesauro, occubuit.

Iustâ fuerat corporis staturâ, lepido gratoque vultu, moribus commendabilis, virtutibus magis quam vitiis famosus, tributorum parcus, sed in corradenda pecunia astutulus, hic omnium primus Consulibus & Scabinis urbem Londinum subjecit, obliterato portensium Comitum vocabulo.

IOHANNES PRIMUS, ANGLIÆ REX.

Anno 1201.

MOrtuo Ricardo, anticipato jure Regnum invasit Iohannes, excluso, Arthuro nepote, cui hæreditario jure successio debebatur, tum ætatis prærogativâ, cum Arthurus decimum tertium annum egressus nondum erat, tum etiam largitionibus suis (expilaverat enim quos frater corraserat thesauros) fretus, ultrò Thronum (invidia subditorum susque deque habitâ) conscendit, non parum juvantibus, quos habebat in Anglia, amicis.

Prima à cognato Arthuro imminebat tempestas, cujus non modo Regnum præripuerat, verum etiam Ducatum Normanniam ad se pertraxerat Andium Ducatum puero tantùm relicto, mater etiam ejus Constantia, inferiorem se Angli viribus conspiciens, ad Galliæ Regem confugit, atque illius opem imploravit, qui non modo Normanniam, verum etiam totam Arthuro Angliam restituere promittebat, juvenemque in protectionem suam recipiebat. Philippus igitur conscripto exercitu, Andium primò Ducatum Arthuro asseruit, deinde Normanniam invasit.

Iohannes vero in Normanniam trajiciens, perfidiam suam Philippo exprobrat quippe qui pacem cum Ricardo fratre sancitam fœdè violaverat. Nec tamen ad arma ventum, dum enim colloquuntur, jusque suum quisque tuetur, quinquaginta dierum armistitium pepigerunt, invito Baldovino Flandriæ comite, qui propterea relictis Philippi partibus fœdus cum Anglo icit, consiliumque iniit, quibus modis exspiratis induciis bellum Gallo inferrent. Verum quando Iohannes a belli curis alienus, pacem iniquis conditionibus, cum Philippo iniverat, Baldovinus ejus ignaviam aversatus, Gallo sese iterum adjunxit bellumque Hierosolymitanum restauravit. Anglus lætus in patriam se recepit, parum tamen honorifice a nobilitate iniquas illas leges aspernante acceptus est.

Io-

ohannes jam belli expers, omnem curam
n expilandos ſubditos,& ſequendas volup-
ates convertit. Immo Gaufredum fratrem
uum Eboracenſem Archiepiſcopum, qui
lum a tali injuria dehortatus erat, omni
ortuna orbavit. In Normanniam deinde
rofectus, repudiata Aviſia uxore, Iſabel-
am Engoliſmenſis Comitis filiam & hære-
em ſuo toro aſſociavit. Quæ Cantuariæ
oronatur. Adeo verò invaluerat Iohannis
Regis oppreſſio & violentia,quin & perdita
uxuria, non ſine cæde & homicidio
quippe qui Matildem præſtantiſſimæ for-
næ puellam) quia neglectis Regis precibus
tupri uſum ipſi negaverat,propinato vene-
no è medio ſuſtulerat & Guljelmum Brau-
ium cum uxore ob liberius quoddam di-
ctum,ablata omni fotruna, in carcere fame
necuerat; at cum ſubſidium rogaret, om-
es ſimul nobiles, niſi gravioribus oneri-
us ſublevarentur, & diris injuriis libera-
entur,foras in bellum illum ſequi detrecta-
unt, in Normanniam tamen, & poſtea
Lutetiam cum uxore profectus eſt,ubi ami-
cè ad ſpeciem a Rege Philippo excipiuntur.
Hugo autem Marchiæ Comes, cui Iſabel-
a Regis uxor prius deſponſata fuerat, Re-
gi ob præreptum matrimonium infenſus,
Arthuro ſeſe adjunxit,novique belli auctor
exſtitit. Quibus &Philippus acceſſit,atque
adeo conjunctis viribus, Turonienſes pri-
mitus, & deinde Andegavenſes invadunt,
oppidumque Mirabellum, cum Aleonora
Arthuri

Arthuri avia, quæ ſecuritatis cauſa eò confugerat, in poteſtatem ſuam redigunt, quæ tamen mira pietate & obſequio ab Arthuro excipitur.

Iohannes porrò Philippo Regi perfidiam ſuam exprobrans, feriò de vindicta cogitare cæpit, ſubitoque & inexpectatus hoſtium copias adortus magnam illis ſtragem intulit, captis, quibus effugium non erat, quos inter Arthurus, qui pauló poſt, ſive in carcere inediâ enecatus, ſive, cum elabi conaretur fluvio merſus, aut ut vulgò creditur luctu & triſtitiâ extinctus eſt. Quem paulo poſt ejuſdem ſoror Aleonora eodem Fato inſecuta eſt.

Cum Arthuro autem non omnes inquietudines extinctæ, verum bello ex bello pullulante, nunc hinc nunc illinc novæ diſſidii cauſæ proveniunt. Conſtantia enim Arthuri mater, apud Philippum de filii nece conqueſta, ad juſtam illum ſuapte ſponte Iohanni infenſiſſimum, haud difficilè vindictam inſtigavit. Qui protinus miſſis fecialibus diem ad cauſam coram ſe dicendam Iohanni, ut beneficiario ſuo dixit. illo autem negante, bellum ejus Ditionibus intulit, brevique omnem Normanniam ad obſequium reduxit, in conſpectu quaſi Iohannis, qui ignaviter Rotomagi deſidebat, & poſtea nihilo tentato in Angliam, frendentibus nequicquam Proceribus, trajecit. Acceſſerat alterum tertiumque diſpendium, Alconora enim Mater

Regis

-gis qui virtutibus suis Regno magnum
-nolumentum, ut Rex vitiis suis detrimen-
-m attulerat, supremum diem claudebat,
-am deinde Hubertus Cantuariæ Archi-
-scopus, alterum Regni columen, inse-
-itur.

Iamque jacturam suam videbatur recu-
-aturus Iohannes, modo subditi ad bel-
-n gerendum subsidia attulerint, quibus
-tatim quæ poterant afferentibus, profe-
-s est Portimuthum versus, & protinus
-n expectatis qui sequebantur Primori-
-s, vela fecit, vix autem littora solvens
-festim rediit, & accusatos ignaviæ &
-bedientiæ quia non secuti fuerant, no-
-es, ingenti argenti summa multa-
-, atque adeo duplici usura ditior, ne-
-cto bello domum rediit.

Philippus interea ut omnes Regno suo,
-glos expelleret, Chinonem expugnat,
-vique bello finem imposuisset, nisi Guido
-taniæ dux constantiæ maritus a Philippo
-iciens, Iohanni sese adjunxisset cuius au-
-o novum hic conscripsit exercitum, quo
-ntalbanum, invictum alias oppidum
-a celeritate, quindecim dierum spatio,
-otestatem suam redegit, & postea Ande
-um vi domitum militibus suis depræ-
-dum dedit, muras oppidi domoli-
-, cuius rei postea pænituit, & quia forte
-a urbe natus erat, pulchriorem, & mu-
-orem illam fecit. Iamque Philippus, &
-annes in acie stabant, jam hinc & inde
exer-

exercitus pugnæ ſignum expectabant, nihilque præter cædem & ſanguinem in conſpectu erat, quando intercedentibus amicis, induciæ in duos annos ab utraque parte datæ ſunt.

Iohannes itaque in Angliam rediit, Scotorum verò in reditu fines ingreſſus, magna illos clade affecit; Regemque Alexandrum ad obedientiam ſui perduxit. Hibernos quoque quos defeciſſe compererat, trajecto claſſe mari, haud difficilè domuit. Cambros etiam in reditu rebelles, obſequentes reddidit, ſumptis viginti & octo nobiliſſimis puerorum obſidibus, quos poſtea cum Cambri reſurgerent, enecari omnes juſſit. Tantum valet inconſulta vindictæ cupiditas, quanvis bona exempla inexplebili crudelitati nonnunquam obtendat. Atque adeo Iohannes in nullos, quam ſuos crudelior & fortior fuit. In Galliam poſtea rediit ut (ſicuti diximus) Andegavi mœnia repararet, quando ad ipſum Pictones defecere. Ludovicus vero Philippi filius conſcripto actutum exercitu rebelles non tantum domuit puniitque, verum etiam totum Iohannis exercitum fugavit, & delevit, captis procerum optimis, quâ jactura ad deſperationem redactus, facta utcunque pace domum ad devexandos ſubditos, iramque omnem ſuam in innocuos effundendam, rediit.

Proceres interea Angliç quia onerum levamen à Rege non impetrabant, conjurata manu,

u,bellum ipſi inferunt. Rex cum ſe eorum
iribus imparem videret, dolo rem gerere
atuit,convocatiſque nobilibus, eorum pe-
tionibus ſatis fecit. Poſtea autem a Ponti-
ce promiſſis ſolutus, bellum illis parabat,
tamque pene Angliam populatus, con-
ratorum arces & caſtella paſſim diruit.
ceſſerat a Pontifice excommunicationis
lmen, in nobiles, ab neglecta ejus juſſa,
aculatum. Proceres vero bello impares,
tutum juxta & probroſum facinus perpe-
ant, evocato; in auxilium Galliæ Regis fi-
o, eique ut Regi ſuo promiſſo obſequio;
aud quaquam ille cunctatus ſexcentarum
avium claſſe in Angliam appulit,cui con-
rati nobiles acceſſere, atque adeo jun-
is viribus Londinum contendunt, ubi
landa oratione cives ſibi propitiavit Lu-
ovicus. Scotus quoque ingenti exercitu
ngliam ingreſſus, obvia quæque devaſta-
at, quibus uti & aliorum viribus auctus
udovicus, ſine negotio omnem Angliam
ercurrit. Iohannes interea ne nihil egiſſe
ideretur, collecta vagabundorum tumul-
uariâ manu, ſubditorum ſuorum agros
irum in modum depaſcitur, tandem in
anſitu fluviorum quorundam ſuorum
aud paucis ſubmerſis, atque adeó auxilio
lus ſatis infirmatus, contracta ob id animi
gritudine, quam febris excepit, intra
aucos dies mortem obiit.

In rebus Eccleſiaſticis durante ejus Re-
imine graves ab quorundam præſulum
ele-

electionem inter Regem & Pontificem Maximum, natæ sunt controversiæ, quibus Pontifex superior, pòst sexennii & trium mensium sacristitium, Angliæ Regem beneficiarium sibi fecit.

Blasphemiis & execrationibus immodicus fuit, immò Mirammumalis Africæ Regis dum in angustiis suis luctaretur, auxilium implorasse creditur, promisso eidem Angliæ Regno, si vinceret, & Christianæ fidei ejuratione. Formâ denique tristis & obscurus, staturâ procerus & obesus erat, natura deses & ignavus, hostem raro nisi impetu vicit, in adversa fortuna minimè constans facilè animum despondebat. Promissorum minimè tenax, subditis gravis, vicinis molestus, & omnibus invisus fuit.

HENRICUS TERTIUS, ANGLIÆ REX.

Anno 1517.

POstquam Iohannes decesserat, nactus est Regnum non sine procerum controversia Henricus filius ejus primogenitus, nonum ætatis annum nondum egressus, deficientibus ad eum proceribus nonnullis, qui paulò ante in Ludovici Regis verba juraverant. Ludovicus tamen cum illis qui ipsius partes sequebantur Londino, cum viginti militum millium exercitu movens, plurima oppida expugnavit, donec tandem ad Lincolniæ Castellum, quod masculè nobilis

bilis quædam mulier defendebat, hæsita-
necesse habuerit, & superveniente interea
nglorum exercitu pulsus & superatus sit,
ptis plerisque qui de eo stabant Anglis
bilibus, excepto Perchiæ Comite qui ho-
ram mortem ignavæ vitæ prætulerat.
c propterea animum despondens, no-
s ex Gallia petebat copias, quæ omnes
nè maritima pugnâ deletæ sunt. Illis
tem infortuniis conditiones inire necessè
puit, quibus centum & quinque flore-
rum millia in dispendii solatium Ludo-
o concessa sunt, renunciato deniquè
nni in Angliæ Regnum jure, dataque
e, de Provinciarum quæ Anglici juris in
llia erant restitutione a patre impe-
nda. Anglus vero omnes quæ ad rebelles
biles pertinuerant ditiones ipsis resti-
t, atque adeo relictâ Angliâ Ludovicus
verio in Galliam vela fecit, bellum in
ena terra infeliciter expertus.
Regni ita unione & quiete in tempus sta-
itâ, nova subitò conjuratorum exurgit
tio, qua intentione omnibus, quâ spe
li nota, quippe quæ exiguis firmata vi-
us, improsperè suppressa est, punitis
obsequium detrectabant. Tandem om-
ad Gallicas Provincias, quæ ad Anglum
tinebant recuperandas convertitur,
a, concessis Regi validis tributis & vec-
alibus. Gallus enim cum reddere pro-
isset, non tamen nisi vi & armis cedere
ebat, expectatum tamen est donec Rex
adultior

adultior suo jure staret, rerumque summam ipse gubernaret. Interea qui ab antecessoribus consepti erant ad venationis usum agros dejectis sepimentis, publico usui & agriculturæ restituit. Verum enimverò postquam adoleverat, revocatis quæ concesserat beneficiis, ut quæ puerili ætati dederat, suæ delectationi deintegro eosdem agros accommodavit. Hac autem non contentus injuriâ, aliis plurimis subditorum studia a se abalienavit. Novum induxit sigillum, veteri abolito, atque adeo magnam auri vim subditis ex torsit, quin etiam Gallici belli specie graviter eos emulsit, & ignaviter re gesta sine victoria rediit, adductis secum ex Gallia Pictonibus plurimis, ut quod in Gallia non meruerant, in Anglia ipsis solveret præmium, quo præstantissimi quique suis muneribus exauctorati istiusmodi vagabundis & ignotis locum fecere. Rex jam aetate maturus Aleonoram Raymundi Provinciæ comitis filiam uxorem duxit, quo nullum rebus ipsius emolumentum, verum potius, ob pannosam & paupertinam familiam & undique afluentes, ut corvi ad prædam, consanguineos, magnum detrimentum partum est, qui tamen magno loco apud eum sunt habiti; non sine indigenarum murmure.

Dum verò eo modo Rex subditorum jura evertere, hique defendere satagunt, omnes certè nobiles ob extraneorum promotionem infensi, conjurationem ineunt, cujus Princeps Richardus Mariscallus libere Regi

suam

n injuſtitiam exprobrare auſus, ſatiſ-
ionem poſtulabat. Rex autem eorum
ogantiam puniturus, exterorum mag-
n exercitum conflavit, ſimulque ordi-
n congregationem quod Parliamentum
ant, conſcripſit. Nobiles vero adeſſe
ectant, niſi Vinoceſtriæ Epiſcopum Pe-
n de Rupibus Pictonem, omneſque
dem farinæ homines aulâ faceſſere ju-
t, ſimul interminati, niſi ſibi ſatisfiat,
Regem ipſum cum omnibus exteris de
e deturbaturos, aliumque ejus loco
ituros. Rex itaque omnes equitatus titu-
torquatos nobiles ad eſſe & pro ſuo Re-
bellum gerere juſſit, quod omnes per-
ere negant, qua propter omnia ipſorum
na in fiſcum redacta, & inter Pictones
tributa, corpora autèm ubicunque inve-
entur, proſcripta ſunt. Quibus minis aut
riti aut prætio corrupti, præcipui non-
lli deficiunt, quo detrimento cæteri in-
nati, in Cambriam confugiunt ad ejus
ræ Principem Leolinum in partes allec-
n, quibus Hubertus Burgius carcere, in
em injuſtè conjectus erat elapſus, poſtea
ceſſit. Rex in Cambriam uſque profugos
equitur, nullâ autem re geſtâ cum igno-
nia rediit. Richardus autem Mareſcallus
m in Regis gratiam redire nollet, dolo in
berniam ut rem domeſticam curaret at-
ctus, atque ibi proditionis inſimulatus
interfectus eſt, quanquam ejus facti in-
diam Rex a ſe amoliri contendebat.

Con-

Convocato deinde Parliamento, viri quidam quibus reſpublica curę, Regi auctores exiſtunt, ut relicto bello cum proceribus in gratiam redeat, quibus Henricus obtemperans cum evocatis ex Cambria nobilibus colloquium inſtituit, quo ipſi in priorem dignitatem reſtituuntur, exteri vero qui perperam irrepſerant, omni loco moventur, gravi etiam ipſis mulctâ impoſitâ, quorum tamen nonnulli (fortunæ inſtabilis exemplo) in favorem Regis recepti ſunt.

Rex deinde omnem in ſubditos ſuos favorem ſimulans magnum illis ſubſidium extorſit, quod tamen inter paupertinos Reginæ cognatos patremque inopem Principem diſtribuit, & cum antea promiſerat, omni ſe exteros gratia excluſurum (& ſemper ſubditorum ſuorum conſilio uſurum, majori tamen illos loco habere cæpit, qua indignitate permoti Proceres, novam conjurationem ineunt, cui ut anteſignanus & Princeps Ricardus Regis frater nomen ſuum etiam dederat, qui Regi coram errores ſuos exprobrare auſus, fortiter, illum ab ejuſmodi fallaciis dehortatur. Quo Rex permotus, & etiam Londinenſium in conjuratos inclinationem conſpicatus, conſcriptis Comitiis publicis & vulgatis conditionibus de pace egit, priuſquam verò eò ventum erat, Cornuvalliæ Comes Regis frater de contraria parte avulſus eſt, quo cæteri nobiles, ſegnius rem urgebant, quare ad concluſionem tractatio perduci non

poterat

erat. Rex jam omni impedimento liber ocius in nobiles sæviit, quâ in exilio ſis, quà loco motis, conjuratorum pririis. Nec minus in Clerum, peregrinis Eccleſiaſtica munia introductis, rogan- Pontifice, pulſiſque indigenis, quin m graviſſimis ipſis impoſitis tributis, ò ut nulli non inviſus eſſet.

Henricus deintegro expeditionem in lliam meditatus, ſubſidium a Parliamen- uo flagitabat, quod cum negabatur, ali- de mutuò petere neceſſè habuit, nec ta- n proſperè impendit, poſt anni moram, lla re benè geſtâ, & parum honeſta pace m gallo factâ.

edux autem in Angliam in Iudæos ſævi- s magnam illis argenti ſummam extorſit, am iterum intempeſtivis donationibus prudenter conſumpſit; atque adeò ex- uſto ærario, negatiſque a Parliamento ſidiis, novis oppreſſionibus occaſio eſt ta, & cum Eccleſiaſticas facultates ad ſe trahereet, magnis cum Papa diſſidiis uſam præbuit. Rex vero parum conſtans imo, conceptos demiſit Spiritus, & Pon- ici ceſſit, qui ſua bona in Anglia recu- rans, deintegro pauperes ejuſdem Reg- ſubditos continuâ emulſione emacera- t.

Hiſce acceſſit quod indies novæ tam ex allia quam ex aliis partibus familiæ, Re- m hac aut illa affinitate contingentes, in ngliam tranſvolarent, quorum inopiæ

C mag-

magnificis donis ſubveniendum erat maximo rei publicæ detrimento. Quibus Rex indies pauperior, omnimodis extorſionibus, quin & rapinis operam dedit, immo regia vendita ſupellectili, aurum ad nomina quibus devinctus erat ſolvenda quantum potuit corraſit.

Deinde cum incommodis non poterat, minis & violentiâ a Londinenſibus modicam argenti ſummam impetravit. Et poſtea ad nobiles converſus fruſtra ſubſidium illos rogavit, ex quo clerum aggreſſus, parum aut nihil effecit.

Expeditionem deinde in Palæſtinam ad Galliæ Regem liberandum moliens, Epiſcoporum & procerum conventum indixit, a quibus cum ne micam quidem argenti impetrare poterat, rabido ſimilis omnes ex cubiculo poturbavit. Quâ injuriâ quoque Elyenſis Epiſcopus ob eandem cauſam ab eo exceptus eſt. Tandem ſubſidii nonnnihil ipſi conceſſum, cuius in gratiam antiquas publici beneficii Chartas ſolenni ritu confirmare adactus eſt, illud autem argentum quod ſacro bello deſtinaverat, quâ honorariis, quâ conviviis, aliiſque in ejus perniciem excogitatis dolis brevi diſſipatum eſt, quin etiam Siciliæ Regnum filio ſuo Edmundo a Pontifice magno ſoluto prætio in ſpem vanam redemerat.

Cambri interea gravibus vexati injuriis a Principe deficiunt, quibus opprimendis & in ordinem redigendis, iterum novo

opus

us erat argento, quod tandem lepidis
odis & commentis corrasit.
Ricardus interea Cornuvalliæ Comes
gis frater Principum Germaniæ rogatu
Romanorum Imperatorem eligitur, brevi
nen, cum importunis oppressionibus &
dictis insolesceret, exauctoratus, Impe-
or paupertinus in Angliam rediit, ex quâ
issimus Comes profectus erat.
Cum autem Henricus, ut illud æs supple-
quo ipsum Pontifex (vana ostentata
gni Siciliæ spe) emunxerat, deintegro
sidium nobiles rogat suos, quibus per-
aciter negantibus, Regeque instante,
dissidium dissilitur, postea autem novo
licto Parliamento, quæ proceres in Regni
uritatem protulerant, jure jurando uti
am filius ejus confirmare coactus est.
io tempore etiam sancitum ut Regis fra-
cum Pictonibus qui in Anglia subsiste-
it protinus Regno facesseret. Suborta
eò sive sponte pestilentuali lue, sive sparso
ecedentibus peregrinis veneno, proce-
n haud pauci extinguuntur, quo diversi
suspicione sola tum morte multantur,
n in carcerem conjiciuntur, tum etiam
exilium pelluntur. Nec eò minora An-
os mala afflixere, illi enim quibus erro-
in Regno corrigendi provincia credita
it, omni atrocitate miseros incolas aver-
ncabant, ut jam quot Domini totidem
ranni essent & jam plane Domino similes
ent servi. Quin etiam ut subditorum in-

vidiam in Regem concitarent, omnem ſuppreſſionis culpam in eum conjiciunt. Quam publico diplomate a ſe avertere contendit, ſed fruſtrâ, cum ipſe ſolenni parliamento, eam quam antea viginti quatuor delectis viris dederat, nunc Montifortenſi, Gloceſtriæ Comitibus & Spenſerio concedere coactus fuerit poteſtatem, jure jurando in ipſis confirmatam.

Ricardo interea Romannorem Rege in Angliam appulſo; Henricus pauperis quanvis fratris audacior adventu, primitus juramenti abſolutionem a Pontifice petiit, deinde procerum inſolentiæ ſeſe oppoſuit. ad Galliæ Regis auxilium confugit, qui inter Henricum & nobiles judex eligitur, ut partium controverſias dirimeret, at cum nihil ageret, in apertum hinc & inde bellum erumpitur. Lyceſtriæ Comes Gloceſtriam cum arce expugnat, gravemque civibus mulctam impoſuit. Worceſtriæ deinde arcem poſtea Elyenſem inſulam in poteſtatem ſuam redegit, quin & Vindeſorium caſtrum. Rex verò ne Londinum uſque perveniret veritus, de pace cum illo tranſigere è re ſua duxit, in quam tandem conventum eſt, eis nimirum conditionibus, ut omnia proceribus traderentur Caſtella, & omnes alienigenæ ad dictum diem protinus Regno faceſſerent, iis demùm exceptis, quibus permanendi data eſſet licentia.

Rex vèro novo indicto Parliamento, nobilium nonnullos & prȩſertim filios ſuos ad

ſe

pertraxit, quibus Iohannes Comminus, liolus, Robertus Brusius, aliique ex otia accessere, quibus haud paulò confir- itus, Leycestriæ & Glocestriæ Comitibus quicquam sese excusantibus bellum in- cit; qui cum viderent Regem quotidie ibus increscere, conscripto subitaneo longè minore exercitu, arma contra gem movent. atque hic dolus virtutis plevit partes, dispositis enim retrò vex- s sine militibus; majorum copiarum eciem præbuerunt. Et sors bonam cau- n adjuvit, Regis enim dispersis copiis axima earum pars oppressa & occisa, cæ- i fugâ sibi consuluerunt, Rex vero, Prin- ps, Cornuvalliæ Comes, filiusque ejus enricus, omnesque Scoti proceres ho- um in manus incidere.

Actum fuisset de Rege ejusque fortuna, si lis inter Lycestriæ & Glocestriæ Comi- s exorta acri contentioni & deinde bello usam præbuisset. Quo Lycestrius inferior on sine ingenti gloria fortiter cecidit.

Eadem Fortunâ Simon & Guido Monti- rtenses, Lycestriæ Comitis filii, hic in aliam, ille in Galliam extorres facti sunt, i illustrissimis postea familiis nomen de- re. Quin etiam mater præstantissima fæ- ina, in Galliam paulò ante profecta, in uodam Cœnobio vitam finivit.

Novo deinde inter nobiles dissidio exor- , iterum ad arma conclamatur, quin eti- m Cambri qui antea Montifortensi auxi-

lium subministraverant, ad vindictam poscuntur. Verum pace utrobique facta, sine sanguine hic consedit impetus.

Partâ Domi quiete foras ad sacrum in Palæstina bellum Eduardus Walliæ Princeps Gallo rogante profectus est: Ricardus verò Romanorum quondam Imperator interea obiit, quem paulò post ipse Henricus dum parta bello damna resarcire studet, secutus est.

EDUARDUS PRIMUS, ANGLIÆ REX.

Anno 1272.

UT moritur Henricus in Palæstina hæsitabat Eduardus bello sacro intentus, ubi & ipse gravissimum discrimen subiverat, tribus ipsi à percussore inflictis telo venenato vulneribus; quibus tamen mira uxoris pietate venenum ex vulneribus ore exsugentis, maturè subventum est. In via de obitu patris certior factus, in patriam terrestri itinere tandem pervenit, Regnoque initiatur.

Principio Regni nobiles commodè habuit, Ecclesiasticorum autem insolentiam reprimere aggressus, illorum thesauros in ærarium suum transferre jussit, aliisque illos afflixit modis, quibus illorum sibi conflavit invidiam. Cambri quibus recepta erat consuetudo, omni occasione novos ciere motus, jam de integro

ro duce Leolino in Eduardum exurgunt,
taque superbiâ debacchantur, qui autem
itó evanuit impetus; Aleonora enim Si-
nis Montifortensis filia Leolino despon-
a, dum ad sponsum ex Gallia maritimo
iere tendebat, ab Anglis capta est. Quam
vi lytro redimere necessè habuit, pro-
sso insuper perenni Eduardo obsequio,
ratre Davide Anglis concesso, qui mag-
apud Eduardum loco habitus est. Leoli-
autem obedientia non ultrà triennium
nstitit, mortuâ enim Aleonora uxore,
novam rebellionem erupit, David etiam
igni Regis Eduardi amoris oblitus, ad fra-
m repentè defecit, & sic conjunctis viri-
s Anglorum fines illi ingressi sunt, & ali-
â clade Eduardum affecere, fallaci Merli-
cujusdam vaticinio, quo Leolino Bruti
rona promitteretur, mirum in modum
flammati, conserto autem prælio, a gre-
rio milite Leolinus occisus est, caputque
us ad Regem delatum, à quo pilo infi-
um, hederâque coronatum castello Lon-
nensi imponitur. suppar fratri Davidi
rs fuit, qui in Wallia captus, equo ad
pplicum tractus & decollatus est, cujus
put juxta fratris erigitur, & quatuor
rporis partes ad quatuor præcipuas An-
iæ urbes mittuntur. Sic Cambrorum re-
ellionem, filiique sui Alfonsi primoge-
iti, qui eodem prælio ceciderat, necem
duardus ultus est.

Gravior autem ex Scotia imminebat tem-

pestas. Alexander enim tertius Rex Scotiæ, dum equum agit cum eo collapsus, & extinctus est, relicta hærede filia ejus Margarita, hæc autem brevi patris fatum secuta, decem competitorum æmulationibus Regnum reliquit, quorum ut jura inquireret, ab omnibus delectus est Eduardus, ipse autem omnium prætensiones in duos præcipuos Iohannem Baliolum, & Robertum Brusium, contulit, qui suppari jure regnum affectabant. Dum inter eos res hæsitat, Brusium adortus est Eduardus, si obsequium sibi perenne daret Regnum ipsi Scotiæ promittens, Brusius autem patriæ libertatem, suo honori præferens, detrectabat, Baliolus vero in eas conditiones consensit, & Regnum adeo Scotiæ adeptus est, omnium autem odium hoc facto sibi conciliavit. Augebat invidiam negata ob Fifæ Comitis cædem Iustitia; Baliolus enim interfectorem ejus Albermethum supplicio exemit, quò Baliolus ad Eduardi tribunal citatus, caussam ipse suam dicere compellitur, quâ ignominiâ infensus in Regnum suum proficiscitur, & Eduardo in posterum denegavit obsequium, bellumque indixit, pacto cum Galliarum Rege fœdere. Atque adeò omnium cruentissimo bello inter duas gentes causa data est, quod ad trecentos annos intermissis nonnunquam parum sinceris induciis, extractum est.

Exercitus utrobique conscribuntur, Anglusque primus Scotos adortus gravissimam

ipsis

s cladem iutulit, variasque urbes & Ca-
la expugnavit, qua jactûrâ ad pacem
endam compellitur Brusius, quæ qui-
n data, veruntamen ipse captivus in
gliam deducitur qui postea liberatus, vi-
in Gallia finivit, frustrà rerum suarum
aurationem opperiens. Atque adeo in
gnum suum rediit Eduardus, relictis qui
im in Scotia curam haberent Iohanne
amio Sussexiæ Comite legato suo, &
gone Chrysingamio Thesaurario. Pau-
autem post Scoti cum forte in Galliam
glus profectus esset, facto in Regis minis-
impetu Hugonem Chrysinghamium,
n sex Anglorum millibus, duce Guljel-
Valla, interficiunt. Rex verò in An-
im redux aulam suam Eboraci conscrip-
& protinus conflato exercitu, ad Fon-
cam Scotos de novo adorus est, &
nvis ipse territo hostium clamore equo
ussus, & duabus ruptis in pectore cos-
, graviter multatus erat, tamen mag-
illos clade affecit, ducentis equitibus,
peditum quadraginta millibus interfec-
Vallas solus cum exigua equitum ma-
hostium furore elapsus est. Procerum
cta bona Anglici juris fiunt, omnesque
eficiarii facti, in Eduardi verba jam
iò jurare compelluntur.

Brevis autem fœdifragi Scoti fuit fides,
isio enim Roberti filio tumultuariè
ge creato novæ exurgunt turbæ, ille
m Iohannis Cumini jura veritus, nefa-

 riè

riè illum in templo Dumfreensi occidi jussit. Quo audito mirum in modum ad vindictam incenditur Eduardus, protinus elegantissimo conscripto exercitu, in Scotiam movit, non destiturus priusquam ejus Regni usurpatorem suppressisset. Pembrocensis Comes qui cum suis militibus præcesserat, Brusium subitò arripiens, omnes ejus delevit copias, cuius manibus ipse Rex vix elapsus in antris, latebris & abruptis montium indecoram vitam duxit, aliam rebus suis sortem opperiens. Fratres ejus hostium in potestatem pervenientes, extremo supplicio ut proditores affecti sunt.

Rex vindictæ rabie efferus, nullius vitæ parcere certus, in obvios quosque sæviit. Atholiæ quoque Comes Regio quamvis sanguine Oriundus, Londinum missus suspendio enectus est, atque eo aliisque modis in alios Brusii asseclas animadversum. Nec tamen Brusius quanvis penè omni sequela orbus, ideò desiit, verum collecta militum manu Pembrocensem subitò adortus, magna clade & jacturâ affecit, & Glocestriæ Comitem in Ayrense castrum actum obsidione cinxit, donec superveniente Eduardo, ad priores latebras confugere necesse habuerit.

Interea novum cum Galliarum Rege Philippo pulchro exarserat bellum, ex quadam subditorum utriusque Regis controversia, & prætensa injuria natum, Reges enim

enim qui mutuâ invidiâ ducuntur, facile in apertum odium exardeſcunt. Anglus etiam ob interfectum à Montifortenſis Comitis filio Henricum Patruelem Ricardi Imperatoris filium (ad quod facinus Gallus connivebat) ipſi meritò infenſus, avidè omnem bellum gerendi occaſionem amplexus eſt. Navali pugnâ magnæ primitus ad Sequanæ oſtium & alibi Franco clades illata eſt. Et Eduardus cum dies ipſi ut Beneficiario à Philippo ad cauſam dicendam dictus eſſet, adeſſe negat, & quod utrò dediſſet obſequium jam exhibere detrectat. Quapropter magnis conſcriptis copiis, Eduardi in Gallia ditiones bello Philippus aggreſſus eſt. Anglus vicinorum Principum Comitis Flandriæ, Brabantiæque Ducis, aliorumque affinitate fultus, quibus promiſſum ab Adolpho Naſſovio Romanorum Imperatore acceſſit auxilium continuò contra Galliæ Regem movit. Sciſſam verò in partes Galliam offendens, promiſſiſque ab Imperatore auxiliis defraudatus, poſtquam Gandavi non ſine civium murmure ſuorumque penuria hyemaverat, novo vere cum Gallo pactis in biennium induciis, ductaque Ducis ſorore Margarita uxore, (Leonora enim in priore expeditione contra Scotos obierat) Eduardoque filio ſuo Philippi filiâ deſponſatâ, in Angliam rediit.

Poſtea verò, cum ultimum in Scotos impetum pareret, poſtquam Carlioli hyema-

verat, in itinere dysenteriâ correptus, & ingravescente malo Burgosandii extinctus est, postquam triginta & quatuor annos Angliæ præfuerat.

Proceritate cæteros omnes antecellebat, vultu subtristis erat, castitate patri similis, fortitudine verò longè ipso superior, judicio juxta & continentiâ excellens.

EDUARDUS SECUNDUS, ANGLIÆ REX.

Anno 1308.

EDuardus cognomine Carnarvanus, ordine successionis defuncto Patre, ad Thronum evehitur. Ille verò vel in ipso initio futuræ Tyrannidis speciem exhibuit, illis præsertim quæ pater testamento fieri jusserat, susque deque factis, & revocato ab exilio Ganestonio perditissimæ vitæ juvene, qui ob insolentiam pulsus erat jussu patris, ultimis verbis ne illum revocaret jubentis. Qui postea magnis dissidiis causam præbuit, quippe cum Rex immodicis donis hominem oneraret, ipsi nobilium invidiam, sibi penuriam conflavit. Quin etiam patre nondum sepulturæ mandato, matrimonium cum Philippi filia, vivente Eduardo contractum ad finem perducere contendebat, quod & maximo nobilium & præsertim Ganestonii apparatu perficitur, præsentibus quatuor Regibus, tribusque, exceptâ sponsa, Reginis. Datur Eduardo dotis

loco

loco Aquitaniæ Ducatus quem Gallus sui juris fecerat. Ipsi autem in Angliam reverso proceres ob nimiam Ganestonii auctoritatem offensi, coronationis solennia negant, nisi protervum & invisum hominem, Regiâ Regnoque expelleret. Quibus Rex assentire visus, Regno omnium consensu cum Regina sua inauguratur. Verum enimverò cum Ganestonium in exilium relegare debuisset, summis illum honoribus auxit, frementibus nequicquam magnatibus.

Rerum interea summa penes Ganestonium, apud Regni proceres nulla auctoritas erat, qui ut gloriâ quoque cæteros anteiret, indicto hastiludio primam laudem meruit. Digna nimirum præmio fortitudo, nisi illam in nobilium contemptum homo oppidò superbus convertisset. Parliamentum interim conscribitur, quo inter cætera sancitum est, ut magnæ Chartæ decreta observarentur, peregrini muneribus Suis moverentur; ut etiam cuncta in solenni Senatus consessu peragerentur, nec Rex inscio aut invito Senatu Regnum excederet, bellumve alicui inferret, quinetiam ut Ganestonius in exilium proscriberetur.

Ille itaque in Hiberniam relegatur, non ut exul, sed qui insulæ præesset, ubi etiam re benè gestâ laudem & remissionem meruisset. Rex verò præmaturo consilio, contracto illius, cum Clocestriæ Comitis sorore matrimonio, absentiæ illius impatiens,

tiens, ab exilio illum revocavit, ſtatimque priori apud ſe gratiâ & loco poſuit, ipſe verò ut gratiam referret, callida adulatione omni Regem fortuná emulſit, ut vix ad neceſſitatem facultates ſuppeterent. Nobiles interea illius inſolentiam averſati, Regi univerſalem defectionem minantur ni turgidum ſubjectum aliò dimitteret. Quibus aſſentiri Rex è republica duxit. Ipſe verò Ganeſtonius, poſtquam diutinè tum in Gallia, tum in Flandria oberraſſet, omnibus æquè inviſus in Angliam clam rediit, Regis & Gloceſtriæ ſoceri favore audacior. Rex amiciſſimè eum excepit, utque ejus adventus cæteros lateret proceres, Eboracum verſus cum eo iter inſtituit. Nobiles verò quibus illud innotuerat conſpirationem ineunt, cui omnes (excepto Gloceſtriæ Comite) nomina dedere, & Thomam Lancaſtriæ Comitem factionis caput conſtituunt, atque adeo Regi Ganeſtonii procerum in manus tradendi, aut alio extrà Regnum mittendi, neceſſitatem imponunt. Eduardus verò ſtolido favore cæcutiens, illum, cum proceribus aſſentire nolebat, valido cuidam Caſtello incluſit, ut adeo nobilium odium effugeret. Conjurati verò cincto obſidione caſtello, ad deditionem miſerum compellunt, & captum poſtea ſecuri percutiunt. Tria Eduardo à moribundo patre juſſa erant & teſtamento madata, ut nimirum, patria oſſa per Scotiam dum Regnum domaret ſecum portaret. Ut trigin-

ta

ta librarum millia ſacro bello impenderet. Ne extorremGaneſtonium domum revocaret. Duobus poſterioribus non ſtetit, argentum enim illud ſacro uſui deſtinatumGaneſtonio jam reduci dederat, de tertio videbimus. Scotorum RexBruſius cui jam pridem Eduardi deſidia innotuerat, rei bene gerendæ occaſionem prætermittere nolens, condictis copiis totam repentè Scotiam in poteſtatem ſuam redegit. Nec eâ contentus Angliæ ingreſſus fines, ferro flammaque obvia quæque depaſcitur. Eduardus ut vim vi opponeret centum millium militum exercitum conſcripſit, apparatu verò magis quam fortitudine inſtructum, qui etiam, à Scotis, vix triginta milla militum implentibus, nullo negotio adjuncto virtuti dolo deletus eſt. Nobilium præcipui in hac pugna aut occiſi aut capti ſunt, Gloceſtriæ ipſe Comes cum haud aſpernandæ fortitudinis ſpecimina præbuiſſet, fortiter inter primos dimicans cecidit, cæteri fugâ ſibi conſuluerunt. Hinc Anglorum fracti animi & magna tum procerum, tum ipſius Regni pars ad victores defecit, tremendo punitæ perjuriæ exemplo. Victoriis vero ſuis inſiſtens Bruſius Hiberniam quoque armata manu invaſit, cuius magnam partem oppreſſit & latè populatus, Rex etiam ejuſdem inſulæ, deficientibus ad illum certatim incolis, ſalutatus eſt, trienniοque rexit donec Armagenſis Primas, & Berninghamus ſupremus in hibernia judex, collectâ

magna

magna militum manu, victorem adorti, magna suorum clade affectum capiunt, captumque securi percutiunt. Scoti sui Regis morte quasi efferati, Anglorum fines Eboracum usque miserè ferro flammâque devastant. Quorum insolentiæ ut esset modus, magnis undique correptis copiis, Eboracum versus movent Angli. Gliscente verò inter duces discordia, nec dum viso hoste, aut dilapsi, aut domum reversi sunt. Barvicum deinde proditione Petri Spaldingii hostium in manus traditum est, quod obsidione protinus Eduardus cinxit. Dilapso verò Lancastriæ Comite cum suis copiis ob exortum quoddam dissidium, vastantibus interea omnia Scotis, variasque urbes & arces expugnantibus, vasa conclamare adactus est. Accedebat quod Eboracenses correptâ popularium magnâ manu, atque illâ Scotos adoriri ausi, infeliciter cæsi & deleti sunt. Rex solutâ Bervici obsidione, Scotos prædâ & spoliis graves insecutus, dilapsis illis alia viâ, frustrà fuit. Sequenti anno Scotiam ingressus, quia omnia ante ejus adventum devastaverant hostes, propter famem & penuriam domum redire necessè habuit, insequentibus verò Scotis, & de improviso ipsum aggredientibus, maximam cladem passus, vix ipse effugiit. Atque adeo imparem se hostibus conspicatus, biennii inducias impetravit.

Hisce autem longè peioribus domi turbis

bis conflictabatur, mortuo enim Ganestonio, Spenserius Iunior Regis in gratiam & favorem successerat. Qui cum eodem, quo Ganestonius modo rerum publicarum & domesticarum summam penes se obtinebat, haud potuit non eandem nobilium & procerum indignationem incurrere. Sed injustius erat hujus invidiæ velamen quam ut publico dissidio obtenderetur, alia aliunde quærenda erat occasio. Regem, ut concessas pridem conditiones sartas tectas conservaret uno ore rogant, adhibitis rebellionis minis, ni obtemperaret, atque adeo magnas conscribunt bello copias, intervenientibus autem Regni Præsulibus, in pacem utrimque consensum est.

Conscripto vero paulò post publico ordinum conventu, palam de injuriis sibi illatis & de Ganestonii nece Rex conqueritur. Proceres verò haud quicquam illa in re, peccatum esse contendunt, ad monitionibus verò Reginæ, & Glocestriæ Comitis mollescentes, flexis genibus harum rerum remissionem flagitantes, haud ægrè gratiam obtinuerunt, quæ publico diplomate Regisque sigillo confirmata est.

Iam omne consopitum videbatur dissidium, sicuti verò scintillæ levi cinere opertæ minutissimo quoque vento excitatæ grave incendium moliuntur; eodem quoque modo ad priora mala levissimâ aurâ opus erat, prima data est defectionis occasio, quod Lycestriæ Comitis Uxor, qua-

cum diù quietè vixerat, à Ricardo Sanmartino quodam homine deformi, priorem cum illa conjugalem consuetudinem habuisse demonstrante (quod & illa quando super ea re inquireretur palam confessa est) ipsi cum Lincolniensi & Sarisberiensi Comitatibus, ablata sit. Altera dabatur quando ipso Pentecostes festo mulier quædam equo insidens & ridiculo more ornata, aulam Regiam ingressa, Regis in fideles patris sui ministros ingratitudinem ipsi exprobraret. Tertia, quando eques quidem Regiis literis onustus interciperetur, quibus Scotiæ Rex ut Lancastriæ Comitem è medio tolleret, rogabatur, quo haud pauci à Rege ad Comitem illum defecere. Quarta cum insanus quidam Iohannes Poudras se Eduardum Regem mentiens, supposititium esse quem colebant Eduardum asserere non dubitabat, quam insaniam diro supplicio pensavit. Omnium autem maxima, quod Baro quidam Guljelmus Brevisius, qui crapulâ & scortationibus maximam suorum bonorum partem dissipaverat, cætera quæ restabant subhastare volebat, quibus inhians Humbrejus Bohunius, impetrata à Rege veniâ, jam cum Guljelmo de iis transigebat. Rogerii quoque ambo Mortimerii aliorum competitorum nescii, super illis quoque licebantur, Spenserius etiam ut illa præstinaret proximam à Rege impetraverat veniam, cæterisque prælatus est. Mirum, quantum in se odium

hac

hac re conflaverit. Iam omnes convenire nobiles, conjurationem inire, Spenserios patrem & filium proditores, Regis corruptores & rei publicæ pestes clamitare, & demum ad arma concurrere. Armatâ manu properè Londinum veniunt, & datâ impunitate urbem ingrediuntur, Regique querelas suas exhibent, quibus multorum intercessione, acquievit, Spenserii denique in exilium proscribuntur, brevi verò post, quando in publico Londinensis Senatus consessu injustam illam proscriptionem esse Archiepiscopus Cantuariensis contendebat, domum rursus extorres haud invito Rege revocantur, hæc quidem proceres, aliud tamen Regem impellebat malum. Regina enim Cantuariam versus iter faciens cum ad Badlesemerium Dominum divertere volebat, ignominiosè exclusa est, aliòque se convertere necessè habuit; de qua re apud Regem conquesta, maximâ illum iracundiâ incendit. Qui nil nisi illius injuriæ vindictam spirans, correptâ subito militum manu, arcem illam adortus est, quâ expugnatâ, præfectus Thomas Colepepper in patibulum actus, & Badlesemerius cum uxore & liberis in carcerem conjectus, cunctaque ejus bona fisco addicta sunt. Incalescente verò jam sanguine ulterius progressus, proceribus bellum inferre animum induxit, illi vero increscentes ejus copias conspicati, partim ad obsequium redeunt, partim ad arma

confugiunt, illorum vero aut dilapsis aut oppressis copiis, quidam in acie occisi, cæteri capti sunt, quos inter Lancastriæ Comes, qui ante suum ipsius castellum capite plexus; cæteri aut suspendio necati, aut securi percussi sunt, adeò ut funestius nunquam nobili sanguine Anglia maduerit.

Iam ultimum & omnium pessimum imminebat malum. Galliæ enim Rex ditionum quas in Gallia Eduardus possidebat nomine, obsequii jus sibi exhiberi ab eo petiit, Eduardo vero detrectante armatâ manu ejus provincias arripuit. Mittitur tandem Regina Isabella Eduardi Uxor quæ terrarum suarum devastationem deprecaretur, quæ tum ut Regis jussa faceret, tum ut suas ipsius querelas fratre coram institueret, haud invita abiit. Quippe Eduardus Spenserii instigatione haud parum alienatus ab ea, multo illam contemptu lacessiverat. abierat cum ipsa Rogerius Mortimerius quocum Reginæ illiciti amoris consuetudo intercesserat, quod cum Regi innotuerit, misit ad Galliæ Regem, qui, ut Reginam cum Principe filio domum mitteret, rogarent. Illa autem non rediens omni Regis mariti terra proscribitur, & præsidia quæ illam si fortè invito Rege veniret, arcerent, maritimis urbibus imponuntur. Illa vero ad Hannoniæ Comitem confugiens, contracto inter Principem Eduardum, Comitisque filiam Philippam matrimo-

matrimonio, justum ab eo exercitum impetravit, duce Iohanne Comitis fratre. Vela tandem facientes, prope Harvicum terram conscendunt, quibus protinus Henricus Lancastriæ Comes aliique proceres accessere. Rex, allato ejus rei nuncio, mirum in modum exterritus, Londino, addicta Reginæ urbe, sine mora facessivit, atque in Insulam Lundy aufugere constituens, adversa tempestate in Cambriam compellitur. Londinenses interea ut amorem suum in Reginam ostenderent Gualterum Stapletonium Angliæ Thesaurarium, Regis partibus addictum crudelem in modum, cum aliis quibusdam, securi percutiunt, nec minus Regina Bristolii, Hugonem Spenserii patrem jam nonagenarium ad supplicium tractum, extracto vivo corde, crudeliter enecuit. Exercitus deinde partem ad Regem vestigandum misit, duce Henrico Lancastriæ Comite, & Riceo Paulino Cambro, qui cum omnes terræ tractus apprimè cognoverat ad Nethense Cœnobium in quo Rex delitescebat Comitem duxit, ubi statim ipse cum Spenserio, Roberto Baldocho, & Simone Redyngio, hostium suorum in manus traditur, atque Lycestriæ Comiti servandus mandatur, à quo ut captivum Regem decet, omni cultu exceptus est. Edmundus vero Arundeliæ Comes, Iohannes Daniel, & Thomas Micheldemus Mortimerii rogatu decollantur, Spenserius verò qui jam Glocestriæ

ſtriæ Comes audiebat,cum Simone Redingenſi ad ſupplicium trahuntur , & laqueo primitus enecti poſtea decollantur, in partes ſcinduntur, capita eorum ponti Londinenſi impoſita, partes ad præcipuas urbes miſſæ, Baldochus verò in carcere inediâ extinguitur. Parliamentum deinde conſcribitur, quo de Rege exauctorando, filioque Eduardo Regno inaugurando agitur. Hic verò matre longè pior, niſi ſponte ſe prius pater abdicaret, Regno initiari nolebat. Mittuntur qui miſero perſuaderent: nec ægrè infelix Rex aſſentiit, dies tradendo Regno dicitur, & Eduardus pulla veſte indutus ingreditur cubiculum, ubi qui ab ejus manibus renunciationem acciperent, congregati erant, vix autem illum abdicationis ſui apparatum viderat, cum linquente ſpiritu ſemianimis conciderit, multoque labore à Lyceſtriæ Comite, & Vinoceſtriæ Epiſcopo refocillatus, ad ſe rediit. Poſtquam verò conventus cauſam audiverat, reſpondit, uti ſibi ingratum eſſet quod iſtiuſmodi odio in ſe ſui inflammati erant ſubditi, ita tamen volupè eſſe quod filium ſuum Eduardum ad Regiam dignitatem eveherent, & adeò accidentibus ritè ſolennitatibus, res tandem peracta eſt, conceſſo deinde Eduardo demenſo, apud Lyceſtriæ Comitem ipſe ſervabatur, & commodè habebatur. Reginæ matri quoque tantum ſtipendium conceditur ut vix quicquam Regi Reginæque

ſuper

ſuper eſſet. Nec adeo placata furioſa mulier, libertatem quâ apud Lyceſtrium fruebatur maritus præcidere aggreſſa eſt, & ex Herefordenſis Epiſcopi Adami Torletonii conſilio, duobus equitibus Thomæ Gorneo & Iohanni Matreverſio data eſt Regem aliò deducendi provincia, qui cum eo de loco ad locum profecti, peſſimè illum dedolarunt, tonſis ridiculum in modum capillis, barbâque quò minus innoteſceret, quem tandem in Barclajum Caſtellum deduxerunt.

Poſtquam Regnum amiſerat, de vita ejus actum erat. Inſalubri primitus victu vim ipſius vitæ inferre tentatum eſt, deinde cadaverum peſſimo nidore, poſtea veneno, quorum neutrum ſucceſſit. Herefordenſis deinde Epiſcopi peſſimi conſultoris epiſtolæ ad dictos ejus cuſtodes veniunt, quibus graviter increpantur quod molliter nimis indignum tractarent, adjuncto ſub finem *Eduardum occidere nolite timere bonum eſt*. Quod ab ipſis ut volebant interpetratum eſt, qui propterea in lecto miſerum adorti injectis ſtragulis ſpiritum ejus intercludere contendunt. Nec eò contenti, immiſſo ano candenti ferro atque adeo aduſtis inteſtinis (immani crudelitatis exemplo) Regem miſere interficiunt. Parricidæ verò cum miniſterii prætium expectarent, dignum perfidiâ præmium adepti ſunt, capitis enim poſtulati, in exilium abiere, Gorneus poſtea capite plexus,

Matrever-

Matreverſius poſt longum exilium, miſerè tandem moritur.

Hic Rex corporis ſtaturâ eximius, fortitudine mirabilis erat. crapulæ autem nimis deditus, atque adeo ſecretorum minus tenax, amore in delectos immodicus erat, amor enim ſi modus ad ſit, nobiliſſima animi inclinatio eſt, ſi abſit peſſima omnium paſſio; infelix magis quam infortunatus erat. Caſtitate omnes antecelluit, cum nullos poſt ſe nothos reliquerit, moderatione, cum nullam injuſtam pecuniam corradendi viam ſit ingreſſus, ſubditis ut in vita exoſus, ita poſt mortem charus erat.

EDUARDUS TERTIUS.

ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

Anno 1328.

PAtre loco moto, Rex ſalutatus eſt Eduardus Vindeſorienſis cognomine, decimum quintum annum nondum egreſſus, & propterea admotis qui regni ejus nomine curam gererent tutoribus. Præcipua tamen penes Reginam & Mortimerium manebat, ſive conniventibus ſive indulgentibus proceribus, auctoritas. Prima fuit cura in Scotos movere, Robertus enim Bruſius Regis juventutem deſpectui habens, Angliæ fines jam ingreſſus erat, omniaque armatâ manu populabatur, conſcribitur itaque exercitus, adjunctis Hannonibus, quos ſecum Regina attulerat,

Anglis, cum autem moribus diversæ nationes ægrè coalescerent, brevi gravis inter utramque nationem discordia enascitur, quâ peste ingravescente, nulla re bene gesta domum disceditur, postea in turpes pacis conditiones consensere Angli, contracto quoque inter Scotiæ Principem Davidem, & Johannam Eduardi sororem admodum impuberes matrimonio. Eduardus quoque promissam sibi uxorem, Philippam Hannoniæ Comitis filiam duxit. Hannones deinde milites qui dissidio causam præbuerant, domûm mittuntur. Edmundus quoque Cantiæ comes proditionis insimulatus, quod fratri Eduardo primo Regnum restituere sategisset, & propterea capitis damnatus, securi percutitur. Reginæ autem publico Parliamenti consessu ingentes quos ad se pertraxerat reditus, ad libras mille annuas contrahebantur, ipsaque Castello includitur, adulterii autem cum ipsa convictus Mortimerius, & in ipso facto comprehensus, in patibulum tollitur.

Philippus Pulcher Galliæ Rex supremum interea clausit diem, Regnumque ad ejus filios, Henricum, Ludovicum, & Carolum pulchrum devolvitur, qui omnes sua vice regnarunt, Carolo autem sine hærede masculo obeunte, defecit in eo legitima successio. Eduardus qui ex Caroli sorore, Philippi pulchri filia genus ducebat, Regnum sibi deberi ratus, Philippum Valesium

Philippi pulchri fratrem adversarium habuit, mulieres enim publico in Gallia regimine per Salicam legem excluduntur. Philippus itaque Eduardo præfertur, cui & Anglus obsequii jus reddere ditionum suarum quas in Gallia possidebat nomine, coactus est. Hæc autem gravissimo postea bello acrique contentioni causam præbuere.

Eduardus Baliolus Iohannis filius interea avitum Scotiæ Regnum affectans, Mortuo jam Roberto Brusio, bellum Scotis intulit, & secundo prælio (vel ipsius Eduardi auxilio fultus) totum penè Regnum in suam redegit potestatem (dum David Rex adolescens in Gallia moras necteret) & reddito Anglo obsequio, beneficiario jure illud retinuit.

Insula Man à Guljelmo Montacuto Comite Sarisberiensi interim quoque expugnatur, qui propterea Regis Mannensis titulo decoratur.

Eduardus ætate jam maturus, instigante Roberto Atrebate ex Gallia in Angliam profugo, bellum (icto cum Gelriæ, Iuliacensis, Cliviæ, Hannonię, & Brabantiæ ducibus & comitibus quin & Coloniensi Archiepiscopo ejusque fratre fœdere) Gallo meditatur. Gallus quoque hanc tempestatem præsagiens, Leodicensem Episcopum, Iohannem Bohemiæ Regem, Lutsenburgensem Comitem, Palatinum denique Albertum, Othonem Austriacum, & A-

mesium Genuensium Comitem sibi propitiaverat.

Eduardus itaque in Flandriam trajecit, Regis Galliæ titulo (auctoribus Flandris) gaudens, finesque Galliæ deinde ingressus est. Philippus quoque Aquitaniam invasit, & quanvis utriusque Regis copiæ in conspectu immò in acie stabant, sine pugna tamen utrimque disceditur. Eduardus interea ut rem domesticam curaret, in Angliam rediit, relicto Guljelmo Montacuto, & Suffolciensi Comiti, belli curâ, qui ambo postquam strenue se gesserant, capti & Lutetiam perducti sunt.

Eduardus vero ad hujus rei famam morandum non ratus, reditum suum in Galliam parabat, comperiensque ingentem Philippi classem in portu Slusensi stare conductâ & ipse maxima classe Gallos adortus est, classemque eorum penitus delevit, ad triginta Gallorum millibus tum occisis, tum aquâ haustis, alioque mortis genere extinctis.

Turnacum exinde obsidione cinxit, quod oppidum tam validè à Burgundiæ Duce & Armeniaco Comite defendebatur, ut toto ejus exercitu disperso, ad quatuor suorum millia amiserit. Quà jactura milium in modium excandescens Eduardus Philippum ad singulare certamen provocavit, re autem composita, cò non ventum est.

Turnacensis tamen obsidio minime intermitte-

termittebatur & Philippus, omnem liberandæ urbi lapidem movebat, verum enimverò intercedentibus Roberto Siciliæ Rege & præsertim Iohanna Valesia Philippi sorore, induciæ ad biennium impetrantur.

Scoti interea qui Balioli regimini adversabantur, evocato ex Gallia Davide Rege suo, bellum Eduardo inferunt, validoque Northumbriam exercitu invadentes fero flammâque, nulla neque sexus neque conditionis habita ratione, omnia miserè depopulantur, qui autem subita Gulielmi Montacuti accessione clade aliqua afficiuntur, adventu verò Eduardi territi, vasis conclamatis in Scotiam redierunt. Eduardus vero eorum copias assecutus levibusque aliquot præliis defatigans, inducias ad biennium illis extorsit.

Iohannes porrò Montifortensis Comes dum jus suum in Britanniam asserere connititur, à Philippo captus est. Uxor verò ejus Eduardi auxilium implorans, haud difficilè impetravit (desponsata comitis filio Eduardi filia Mariâ) data Gualthero Manio strenuo viro, & deinde Roberto Atrebati ejus expeditionis provinciâ. Baliolus interea sua Scotiâ pulsus & ab Eduardo Bervico præfectus, haud rectè inducias à Scotis observatas esse Eduardum admonuit. Quâpropter extemplo magno exercitu contra Scotos Eduardus movit, nihil verò, præter renovatum armistitium actum est.

Robertus

Robertus interim Atrebas, cum Gualthero Manio & aliis quibusdam proceribus, post gravem tempestatem, pugnamque maritimam, ad Venetorum oppidum (quod vulgo Vannes dictum) appulit & conscensâ terra urbem hostili præsidio defensam adortus, brevi sui juris fecit, deperato autem quorundam nobilium impetu, à Gallis recuperatur, vulnusque Roberto infligitur, ex quo paucis post dieus in Anglia moritur. Eduardus verò se deinde in Britanniam movens de no- Venetos obsidione pressit, & superveente Iohanne Normanniæ Duce, ad pugm utrobique sese accingunt, intercesne vero Pontificis Clementis sexti, paurum mensium induciæ datæ sunt, nec men diù constitere, sed iterum, cujus lpâ incertum, ad arma conclamatum est, o Henricus Lancastrius in Aquitania, & is provinciis varia oppida expugnavit, deinde Burdegalam ad hyberna mo-

Philippus verò ne desidiâ rem suam peret, conscripto maximo exercitu Mirentium, Villam francam, & Engolismum aperavit; cum verò Lancastrius ingenis Philippi viribus non sufficeret, Eduaripse magno admodum præsidio adfuit, ucto secum Walliæ Principe filio suo, el immatura ætate (quindecimum eannum vix attigerat, belli studiis initur, qui extemplo varia cepit oppida, deinde

deinde Picardiam & Pontivum versus contendit, & obvia quæque aut delevit aut expugnavit. Sommam deinde miro fortitudinis exemplo, hostium in conspectu trajecit, & pavore magis quam armis consternatum Gondomarum fudit.

Philippus interea ad Divi Germani fanum cum exercitu substiterat, & tantâ suorum jactura efferatus, ad prælii aleam subeundam Eduardo diem dixit; ille ad Cresciacum castra sua metatus erat, sub signis Philippum hostem opperiens. Committuntur utrimque acies, & prælio signa dantur, ubi mira Eduardi tum Patris tum Filii fortitudo eluxit, victoria autem pro Anglo fuit illa die, Gallique copiæ funduntur & dissipantur, Rege ipso vix elapso, inventaque sunt occisorum cadaverum triginta admodum millia, quorum præcipui fuere Iohannes Bohemiæ Rex, Carolus Alenconius, aliique præcipui proceres ad mille quingentos. Hanc victoriam alia insequitur clades Rotomagensi Archiepiscopo illata, quâ septem plus minus millia militum cecidere.

Nec tamen victoriarum finis fuit, in Anglia enim prospere vel absente Rege, contra Scotos res gesta est, Davide ipsorum Rege cum nobilium præcipuis capto, & militum quindecim millibus in acie occisis, cæterisque dissipatis copiis.

Nec secus in Britannia pro Comitissa Montifortensi à duce Thoma Dagovortio

pugnatum

gnatum eſt, captis & occiſis nobilium
allorum primariis.
Eduardus tot tantiſque victoriis elatior,
glectis Ambiano & Abbatis villa oppi-
s, Caletum maximi momenti, rebuſque
nglicis commodiſſimam urbem obſedit,
m Lancaſtrius totam Aquitaniam per-
rrens, Santones, Pictoneſque expugna-
t, prædâ gravis Burdegalam rediens.
ilippus interea Caletenſibus auxilium
urus cum copiis ſuis appropinquaverat,
mque fruſtra Eduardum ad prælium
ovocaverat, re infecta, Pariſios movit.
aletenſes adeò omni ſpe defraudati de
nditionibus agere cæperunt, atque in
s utrimqne conſenſum eſt, ut præcipui
vium ſex veſtibus, exceptis induſiis,
oliati, laqueoſque ignominiosè geſtan-
s Eduardo dederentur, conceſſâ cæteris
nnibus gratiâ. Hi autem quanvis ſub
ſſe & flexis genubus mortem deprecari
ntabant, ad crucem tamen condemnati
nt, rogante verò ipſâ Reginâ liberati,
toque inſuper viatico dimiſſi ſunt.
Rex & Regina, triumphantibus ſimiles
bem ingreſſi, veteres incolas urbe faceſ-
e juſſerunt, oppidumque Anglicis fa-
iliis oppletum aſſeruerunt.
Quod virtute amiſerant, proditione re-
perare Galli conabantur, Gotthofridus
im Charnus Odomari fano præfectus,
lmericum Papienſem quem Eduardus
aleto præfecerat, jam pretio ad urbem

tradendam corruperat, re vero divulgata, in Angliam vocatur Almericus, adveniens verò & culpam confessus, veniam tandem impetravit, ea verò conditione ut Gallos spe sua delusos Anglorum in manus traderet. Constituto tempore adest Charnus, præmisso quod promiserat auro, verum Eduardi copiis circumventus est. Strenuè tamen sese defendit multumque negotii Eduardo cum filio præsenti, facessivit, donec omnibus quós secum adduxerat occisis, ipse (cum equite quodam Ribomontio, qui Eduardum bis in terram conjecerat, ultimò vero ab eo superatus erat) captus est.

Felicius vero istiusmodi negotia Anglis successere, Castro Guinensi (corrupto argento præfecto) in potestatem suam redacto, atque adeò par pari relatum est.

Philippus Galliæ Rex jam supremum claudebat diem, relicto Regni hærede Iohanne filio, quinetiam Humbertus Delphinatus princeps obiit qui eundem successorem suum nominaverat, atque ab eo tempore Regum Gallorum primogeniti, Delphinatus Principes audivere.

Sed cum inceptæ de pace tractationes non successerant, mittitur in Galliam de novo Eduardus Walliæ Princeps, qui Aquitaniam, Septimaniam, Tolosates, Narbonenses, & Bituriges percurrens, spoliis gravis Burdegalam rediit. Eduardus haud minus novis copiis ab alia parte infestavit Galliam, quin etiam Lancastrium Navarræ

Regi

gi auxilio misit, qui varias quoque & ip-
urbes & arces expugnabat, quapropter
llus quas poterat contrahens copias Nor-
nniam primitus arripuit, multaque
bi oppida recuperans, totam provinciam
muisset, nisi Walliæ Principis inso-
tiâ avocatus fuisset, qui adeo obviam
i profectus est, ille vero Galli copiis im-
: Burdegalam properè se contulit. Gal-
verò eum assecutus prælium ineundi
essitatem imposuit, desistere à concep-
jam victoria nolens, quanvis missis à
ntifice nuntiis pax submisse rogaretur.
llus turpes quas Gallus proposuerat
nditiones (ut videlicet seque suumque
ercitum Regis gratiæ committeret) a-
sfatus, ad pugnam sese accinxit, electis-
e vinetis, & senticetis quibusdam ut e-
itum evitaret impetum & incursum, ja-
atores suos imposuit, qui incursantes
providè equites nullo negotio turban-
, victoriæ initium fecere, cui insistentes
nem protinus exercitum fuderunt dissi-
runtque. Rex ipse Iohannes cum filio
ilippo juniore & innumeris primoribus
lliæ captus est. Ad septem millia occi-
sunt, quos inter præcipui quidam nobi-
. Cæteri cum tribus Regis filiis fugâ
apsi sunt. Rex Galliæ quanvis captivus,
ani tamen cultu ab Eduardo Principe
ceptus est, & postquam Burdegalæ cum
so hyemaverat, in Angliam vere novo
citur, & splendidè ab Eduardo Rege ex-

cipitur, qui uno Rege captivo contentus, Davidem Scotiæ Regem, rogante Iohanna Regina Eduardi sorore, postquam undecennio in Anglia versatus fuerat, soluto quod promiserat lytro, libertati restituit. Intercessione verò Cardinalium quorundam, de pace inter utrumque agitur Regem, & Iohannes moræ suæ in Anglia jam pertæsus, facilè in eas quas Eduardus proposuerat conditiones consentiit. Filius verò ipsius senior Delphinatus Princeps, ut injustis & gravibus, uti etiam senatus Gallicus, illis acquiescere detrectabat. Quocirca moræ insolens, armis, quam pace nequiverat, rem perficere Eduardus aggressus est. Ipse relicta Thomæ juniori filio Regni curâ cum mille & centum navibus, & Anglicæ nobilitatis flore Caletum trajecit, ubi trifariam exercitum suum divisit. Primum Walliæ Principi credidit agmen, secundum Lancastrio, tertium sibi retinuit. Inde Picardiam percurrens diversa oppida expugnavit, donec ante Lutetiæ mœnia castra metatus sit, Delphini adventum incassum opperiens, quapropter retrò Carnutes versus movit. Verùm enimverò tam gravis illum in itinere tempestas obruit, anno M CCC LX ut maximè territus votum fecerit, pacem cum Gallo ineundi, nec diù post ad Carnutes ea sancita est. Cujus conditionibus Galliæ quoque Rex inclusus, cum filio suo dimittitur ex captivitate,

agnaque Galliæ pars Eduardo cum auri
ımensa vi conceditur. Galliæ autem Rex
im (incertum quâ causâ) in Angliam
oſtero anno redierit, poſt diuturnos lan-
ıores ibidem obiit.

Eduardus ſub hæc tempora periſceli-
s equeſtrem ordinem, ſolenni ritu in-
tuit.

Walliæ autem Principis per univerſum
bem fama jam percrebuerat, quapropter
qui injuriâ oppreſſi aut hoſtibus fatiga-
erant, ad illum undique ut protectorem
injuriæ vindicem, confluunt. Petrus in-
alios Caſtiliæ Rex, ab eo in regnum ſu-
n reducitur, parum tamen tanto beneficio
atiæ retulit, cum Eduardi militibus quæ
eruerant ſtipendia perſolvere Petrus de-
ctaret. Ipſe Princeps nihil niſi animi &
rporis ægritudinem (ſi famam & tantæ
tutis gloriam excipias) retulit. Milites
erea ob non ſoluta ſtipendia irati, ne
ſtu neceſſario deſtituantur, omne circum
ca territorium percurrunt, obvia omnia
ipientes, qua de re apud ipſum Galliæ
gem incolæ conqueſti ſunt, qui prop-
ea Principi ut ejus inſolentiæ rationem
dderet, diem dixit. Ille negabat ſe ven-
rum niſi ſexaginta militum millibus ſti-
tum, in bellum itaque erupit hæc diſcep-
tio, multaque ſibi invicem oppida di-
iunt, magnaſque ſtrages inferunt, ſupe-
re maxima ex parte Anglo, qui ex pu-
atis Bordeille & Belloperche oppidis,

Borboniæ Ducis matrem, & Galliæ Reginam cepit.

Philippa sub hoc tempus Angliæ Regina defungitur, nec tamen ejus mors Anglorum in Gallia progressus inhibuit.

Pembrocensis enim Comes, Andegavenses adortus, plufcula expugnavit oppida, cumque exinde Gallorum naves dissipare & diripere satageret, industriâ Comitis Sanpollii frustra fuit, atque adeo Caletum, omnia in viâ populatus, reversus est. Andium interea & Biturigum Ducibus Walliæ Principis fines vastantibus, cum ipse obviam venire conatur, accepto expugnati Lemovici nuncio, continuò illuc movens, rursus oppidum in potestatem redegit suam, omnibus passim trucidatis, cum autem] trium centurionum qui sua virtute victrices copias soli morarentur, fortitudinem vidisset, illorum causâ viventibus cæteris urbique pepercit. Rex Scotiæ David interea obierat, nullo relicto hærede, præter Robbertum Stuartum cognatum qui & ipsi successit, Sconæque inauguratus est. Robertus Canolus jam maximo exercitu in Galliam missus majori audaciâ quam fortunâ rem gessit, donec à Bertrando Gesquino circumventus maximam suorum partem amiserit.

Eduardus Walliæ Princeps armis & virtute omnium clarissimus Burdegalę hoc tempore ex morbo decessit, tum etiam Gualterus Manius clarus bello dux Londini. Pembro-

brocensis quoque Comes qui ejus filiam uxorem duxerat, Aquitaniæ jam præfectus, cum ad præfecturam suam iter institueret, ab Hispanis captus in Hispaniam ducitur. sequebantur omnes quas Walliæ Princeps in Gallia ditiones obtinuerat, à Carolo V. Rege Gallorum, maximam partem recuperatæ, ut jam manifestè fortunæ alea nutaret. Eduardus quidem cum maximis eò copiis profectus est, sed adversa tempestate frustra fuit, Lancastrius quoque rerum suarum sategit, nec tamen quidquam profecit.

Eduardus verò cum sua spe, quam de filio suo Eduardo conceperat, omnique penè laborum suorum in Gallia fructu destitueretur, tantam animi & corporis ægritudinem contraxit, ut decimo post Walliæ Principem mense fatis cesserit, postquam annis quinquaginta regnasset. Omnium Principum fortissimus, formâ conspicuus, animi juxta & corporis dotibus excellens, optimæ uxori, optimoque filio vel in ipsa morte superstes.

RICARDUS SECUNDUS,

ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

Anno 1378.

RIcardus cognomine Burdegalensis, Eduardi Nigri Walliæ Principis filius, ab Eduardo avo successor nominatus, post ejus mortem Regnum adeptus est,

nondum undecimum ætatis annum egressus. Quocirca tutores ipsi dati Iohannes Lancastrius Dux, & Edmundus Cantabrigiæ Comes, ejus Patrui. Scotus & Gallus ex Regis juventute rei bene gerendæ occasiones aucupantes, arma jam de novo parant. Galli urbem Ryam expugnant, & successu jam audaciores Vectem Insulam adorti, flammâ ferroque omnia devastant, extorta incolis magna auri vi, atque inde universas Angliæ oras depopulati immensa prædâ ditescunt. Scoti haud minus Barvici Castellum capiunt. Northumbriæ verò & Nothyngamiæ Comitum industriâ arx recuperatur, omnibus Scotis internecione deletis. Hugo quoque Calverlejus Caleto præfectus, viginti sex Gallicas naves in portu Bononiensi injectâ flammâ consumpserat. Nec minus Iohannes Philopotus Londinensis civis sui ipsius sumptibus classem parans, Merceri celeberrimi prædatoris, ad Angliæ oras piraticam facientis, magnâque clade ejusdem rei publicæ mercatores afficientis, omnes quas habebat naves diripuit. Redux vero vice præmii proditionis insimulatur, quia inscio Rege classem ordornasset. Ipse vero causam suam adeò defendebat, ut non tantum ejus factum excusatum verum etiam ad hunc usque diem celebratum sit. Certè res politicæ quanvis clam suggillari possunt, non tamen palam investigandæ sunt, cum auctoritas eo modo vitium faceret, &

erroris loco tumultus excitaret, & cum jactura universalis & communis sit, unusquisque ad vindictam arma ministrat, & quanvis præter rationem esset auctoritatem præterire, crimen tamen audire non potest periculum pro ea subire. Prosperâ adversaque Fortunâ multum hinc & illinc desutatum est. Scoti Rupisburgum flammis devastarunt. Northumbriæ vero Comes Scotiam ingressus Merchiæ ditiones ferro flammâque itidem delevit: septemtrionales verò Angli Scotiam quoque invadere satagentes infeliciter cæduntur. Et brevi póst Lancastriæ Dux cum Buchingamio, Warvicensi & Staffordio aliisque nobilium præcipuis, magnâque classe in Britanniam appulsi, oppido Sanmalo obsidionem meditati, nimiam vero præsidii defensionem experti, domum reversi sunt. Scoti deintegro Bervici Castellum admotis scalis noctu superabant, & Robertum Bayntonium loci præfectum interficiebant. Comes vero Northumbriæ subitò cúm exercitu advolans arcem post bidui oppugnationem recuperavit. Guljelmus Montacutus Regis Caleti legatus prosperè etiam rem tum terrâ tum mari gessit, adversè verò Iohannes Clericus qui quanvis masculè se gesserat ab hostibus cum suis navibus superatus & captus est. Atque adeò hic & alibi ancipiti fortunâ pugnatum est.

Tomas Cartonius interea à Iohanne

Anslero proditionis postulatur, quasi prætio corruptus Divi Salvatoris Castellum hostibus Gallis tradidisset; Cartonius facinus inficiatus ab eodem Anslero ad singulare certamen provocatur, in quo Cartonius quanvis membris & viribus Ansloro longe præpolleret, occisus est. Auspicante quarto Regis Ricardi anno mittitur Buchingamiæ Comes cum aliis modicoque exercitu in Galliam, ut Britanniæ Duci auxilium ferret, Gallo autem Rege sub illud tempus defuncto, pax inter novum Regem Ducemque sancita est.

Hispanorum verò & Gallorum triremes, magnam cladem maritimis Angliæ urbibus illo tempore intulerunt, diversisque oppidis aut expilatis aut flammâ eversis, spoliis graves in continentem redierunt.

Cantiani verò jam gravi ob tributorum mortale onus tumultu exarserunt, odioque implacabili in nobilitatem, sumpta undecunque occasione, exasperantur, cum aliàs vilis hominum fæcula honoris minime capax, quem ipsa perferre non potest aliis invidet. Originem dicitur hic tumultus à Iohanne Tylero quodam duxisse, qui tributorum collectorem insolentius se gessentem arreptâ pertica ad mortem multaverat. Cui alii quidem seditiosi, immò integræ sese adjunxere provinciæ. Crescebat in immensum tumultuaria factio, armatáque manu Londinum movet, & primitus doctorem quendam Londinensem

dinensem Ricardum Leonem securi interficit, erectumque in hastæ apice caput veluti in triumphum rei bene gestæ circumfert. Omnes deinde posteio die ad Lancastriæ aulam convolantes, injiciunt illi ignem, divitem suppellectilem diripiunt, & in Thamesim conjiciunt, sedulò præcaventes ne quisquam aliquid sibi retinuerit, immò cum avarus quidam vas aliquod argenteum in suo absconderat sinu, arreptum hominem simul cum vase vivum in flammas conjiciunt. Pars in vinariam cellam se contulit, quæ ruentibus ædibus semi oppressa, ad septimum usque diem opem nequicquam implorans, tantæ ruinæ supervixit. Illum in modum passim grassati, in obvia quæque insano studio feruntur: tandem ad aulam Regiam turrimque Londinensem convolant, castrumque, Rege defensionem non auso, nullo negotio expugnant, ubi Regina Mater injuriam ab insolente quodam, os illi offerente passa semianimis concidit. Simon Cantuariensis Episcopus ex turri abstractus in subjecta area securi percutitur. Robertus Hallius eandem vim passus est, uti & alii quidam, nec templorum nec publicarum ædium habita ratione, omnia lymphaticis simillimi fanatico impetu diruunt. Rex hisce tumultibus remedium meditans, concessa commissorum veniâ iram furentium placare fategit; Essexiæ comitatus incolæ parentes domum facesserunt, Cantiani

verò

verò pertinaciter Duce Tylero persistunt; ad quos Regis nomine Iohannes Novotonius mittitur, ut insolentes ad obsequium hortando perduceret, aut secus illorum voluntatem sciscitaretur, ipse cum equo insidens advenerat, jussus est à Tylero in terram descendere atque eo modo loqui (tantum sibi arrogaverat furiosa auctoritas) negat descendere eques, Tylerus itaque gladio instat, Rex equitis periculum antevertere studens orat ipse ut descenderet, negante equite, & instante Tylero, accessit tandem Guljelmus Valvorthus urbis major, baculoque quem gestabat Tylero graviter in capite percusso manus ipsi dare nomine Regis pro more jussit. Qui dum ictu turbatus stabat à Regis familia innumeris vulneribus occiditur. Duce occiso vindictam parare videbatur mutilata factio, Rex vero quanvis decimum quintum vix attigerat ætatis annum, prompto animo ad ipsos transiit, promittens se ducem eorum fore, rogansque, ut sequerentur, cum ex animi sententia omnia illis successura essent. Valvorthus interea mille circiter cives congregaverat, quibus se Robertus Conolus ducem præbuit, & cum illis tumultuantibus occurrens, tantam illis consternationem incussit, ut abjectis protinus armis, manus sponte dederint. Cives in rebelles impetum fecissent, Rex vero obstitit, ne fortè innocentes cum nocentibus cade-

rent,

rent, verum enimverò ut in totum ſedaretur tumultus, libertatem domum cuique eundi conceſſit. Alicubi verò non eadem parta eſt quies, in Suffolcia enim mirum in modum debacchati juridicorum quorundam ædes diruunt, uti & Cantabrigiæ, & alibi,occiſis, decollatis & alio modo graviter multatis nobilibus, quorum dux Iohannes Litteſter tinctor, in tantam ſuperbiam degeneraverat, ut Regis inſtar ſe geſſerit. Ipſe verò cum omnibus aſſeclis ſuis, Henrici Spenſerii Epiſcopi Norricenſis induſtriâ & virtute oppreſſus, captus, & ſupplicio affectus eſt. Londini quoque ut & alibi in reos animadverſum eſt, ubi Iohannes quidem Stravus aliique morte afficiuntur, atque adeo patriæ reddita eſt quies. Lancaſtrius interea in Scotos mittebatur ut iis, ſi forte ex hiſce tumultibus rei gerendæ occaſionem ancuparentur, continuò adeſſet, ipſe verò tam prudenter rem ordinavit, ut priuſquam ad eos motus rumor pervenerat, in duos tresve annos induciæ darentur. Anna interea Venceſlai Imperatoris Soror, Regi nuptura Londinum advenerat, ubi maxima pompâ nuptiæ celebratæ ſunt.

Henricus Spenſerius exercitum ſub illud tempus à Rege obtinuerat, quem in Gallos & præſertim, pro Urbano in Antipapam Clementem duxit, & primitus Flandriam ingreſſus, Iperam obſidione cinxit, majori autem ex Gallia vi obſidionem ſol-

vere necessè habuit, cumque præter Gravelingam duceret, Regi scripsit optimam adesse hostes profligandi occasionem, Lancastrio verò cui data erat provincia moras nectente, nihil actum est, & Spenserius nulla re gesta domum rediit, brevi autem post induciæ inter Gallos Anglosque pactæ sunt.

Scoti interim Angliæ fines ingressi varia oppida & arces ferro & igne consumpserant, obviam verò Lancastrius cum Buchingamio profectus, cum ad pugnam Scotos perducere non poterat, in vindictam illatæ injuriæ urbibus & pagis aliquot concrematis, domum rediit.

Ricardus verò ut eorum insolentiam reprimeret, quibus etiam Gallorum Rex auxilium miserat, ipse cum exercitu suo in Scotiam profectus est inventumque sine præsidio Edimburgum injectâ flamma demolitur, Scoti interim ut Anglorum vires averterent, in Cumbriam facto impetu; Carliolum obsident, audito vero Ricardi adventu, vasis conclamatis in patriam redeunt.

Lancastrius interea cum delecta militum manu in Hispaniam, Regis Hispaniæ titulo à Rege Ricardo donatus, expeditionem aggressus est; ubi nonnulla quidem oppida expugnavit, filiamque suam Portugalliæ Regi despondit, Anglis vero ejus territorii & calidioris aeris impatientiâ in omnia morborum genera inciden-

tibus,

tibus, pactæ sunt induciæ, quas pax deinde secuta est.

Ad Galliæ oras ducibus Arundeliæ, & Nothyngamiæ Comitibus Gallicæ naves vino onustæ ad centum numero expugnatæ sunt, & oppidum Brestum obsidione liberatum. At grave sub hoc tempus in Anglia inter Regem & proceres Glocestriæ Ducem, Arundeliæ Comitem aliosque, instigantibus Hiberniæ Duce & Suffolciense Comite aliisque malitiosis, exarsit dissidium. Immo ad arma concurrebatur, mitiori autem quorundam consilio, rursus coaluere. Dux vero Hiberniæ sponte aulam deserens, in Darbiensis Comitis copias incidit, & pugnam non ausus, trajecto cum equo flumine, relicta Angliâ in Belgium aufugit, ubi extorri similis aliquot annis degens Lovaniæ tandem obiit, cæteri quoque qui Regi auctores belli extiterant celebri parliamenti consessu ex aula Regnoque facessere jussi, & nonnulli postea extremo supplicio affecti.

Decimo quinto anno regiminis Ricardi Londinenses in tumultum exardescunt, levissima quidem ex causa, Rege vero ob negatam sibi exiguam argenti summam mire infenso, præcipuis privilegiis, magnaque auri vi mulctantur. Tanti est Reges lacessere. Solenni postea Regum conventu inter Anglum Gallumque pax sancita est, desponsata Ricardo Regis Galliæ filiâ Isabella, octo annorum Virgine:

Anna

Anna enim prior ejus uxor decesserat. Glocestriæ vero Dux importuno quodam verbo Regis ignaviam suggillans, in ejus iram incidit, & grave quoddam metuens ex aula cum fratribus facessivit. Inita autem postea cum aliis quibusdam conspiratione, Regni statū mutare aggressus est. Rex vero cui illud suboluerat cum fratre Huntintoniæ comite ad Glocestriæ Ducis patrui sui Castellum iter instituit, quò cum noctu venerat, ex lecto suo surgentem Ducem obviam habuit, qui mox obambulationis specie à Comite Marescallo captivus factus Caletum versus deducitur, atque ibi elisa laqueo cervice, miserè interficitur, Arundeliæ quoque comes conjuratorum primarius, aliique præcipui nobiles, in carcerem conjecti sunt. Ille autem postea publico Parliamento capitis postulatus, securi percutitur, cæteris aut exilia aut carceri perpetuo damnatis; atque adeò Ricardus nobilium sanguine Regnum suum asserere nititur.

Norfolciensi atque Herefordensi ducibus se invicem sine alio teste, proditionis insimulantibus, certamen singulare conceditur, cum verò jam ambo in procinctu starent, prohibitum est, atque utroque diversa ad loca in exilium misso, sanguini parcitum. Norfolciensis verò in Germaniam primitus & postea Venetiam profectus, mero luctu & tristitiâ decessit

Herefordensis verò qui in Galliam trajecerat,

jecerat, atque ibi Cantuariæ Archiepiſco-
pi ob dictam conjurationem extorris
conſilio inſtigatus, clam domum rediit,
ſpecie patrimonii ſui (quod patre de-
functo præter jus faſque Rex in fiſcum
redegerat) redimendi, reapſe vero ut
aſſociatâ ſibi procerum manu, Regem in-
ſolentius ſe geſſentem in ordinem redi-
geret. Vix ille in Angliam appulſus mi-
rum in modum, affluentibus undique no-
bilibus, viribus increvit. Et juſto jam
ſtipatus exercitu urbes quaſdam in po-
teſtatem ſuam redegit & præcipuos Re-
gis conſiliarios capite plexit. Ricardus
interea in Hibernia domandis rebellibus
operam dabat, quando motus Anglici
ad eum nuncius pervenit, quo quidem per-
motus eſt, nec tamen pro rei periculo
feſtinavit. Sarisburienſis tandem comes in
Angliam præmittitur, ut quantum poſſet
copiarum conſcriberet, data à Rege fide ip-
ſum ad ſextum diem adfuturum. Poſtquam
in Angliam venerat Comes nullo negotio
ingentem Wallorum exercitum corraſit,
cum autem Rex nullibi appareret, rumore
mortis ejus ſparſo pars defluxit, pars do-
mum rediit, rari admodum ſub ſignis
manſerunt. Rex quando per adverſam
tempeſtatem liceret, tandem adeſt, cum
verò tantos terrarum tractús ad Herefor-
denſem, morte Patris jam Lancaſtrium
Ducem defeciſſe comperiret, animum pro-
tinus deſpondens, omnes ſuas copias, qui

ſibi

ſibi auxilio venerant, quò vellent abire juſſit, illiſque in fide perſeverantibus, ipſe cum Exonienſi Comite, aliiſque nonnullis ad Convienſe Caſtellum confugit, ubi Sariſberienſem Comitem offendit. Hic Worceſtriæ Dux qui rei domeſticæ Regis præfectus fuerat, confracto albo baculo muneris inſigni, atque adeo abjuratâ fide, à Rege ad conjuratos proceres defecit. Northumbriæ deinde Comes ad Regem mittitur qui ex illo caſtello aliò ipſum deduxit, conditiones etiam pacis cum ipſo inire fategiſſe dictus, Rege nequaquam tergiverſante; in itinere autem ſuperveniente Rutlandiæ Comite, cum ipſo ad Caſtellum Flintium deflectere adigitur. Quo paulò poſt Henricus Lancaſtriæ Dux ipſe venit, qui comiter & blandè à Rege excipitur, & deinde cauſas adventus ſui, ut nimirum jura ſua & bona reciperet expoſuit. Rege annuente, omniaque concedente compotatum abeunt, deinde conſcenſis equis, continuato itinere Londinum verſus proficiſcuntur, tanta nimirum feſtinatione, ut veſtimenta ſua mutandi tempus Regi non concederetur. In turrim poſtea nobilium carcerem deductus, ſeduloque ibi ſervatus eſt. Parliamentum deinde Lancaſtrii juſſu quanvis ementito Regis nomine, conſcribitur, in quo Ricardus, variorum criminum poſtulatur. *Quod nimirum Regni facultates conſumpſerat. Quod ingentem argenti ſummam mutuo ſumpſerat*

erat nec dum reddiderat. Quod ſibi legum om-iium arbitrium arrogaverat. Quod Parliamenti nembra quando placuerat mutaverat. Quod yrannice jus ſibi in ſubditorum fortunam aſci-verat. Quod Iudices corruperat. Quod Patru-im ſuum Gloceſtrium Caleti fœdè interfici cura-verat. Quod Parliamenti membra in vincula onjecerat. Quod præter jus faſque Arundeliæ Comitem extremo ſupplicio affecerat. Quod pro-rium Regnum populationibus vaſtaverat. Quod Regni Regumque ornamenta extra Regnum op-ugnoraverat. Et ſic deinceps. Quibus cul-pis omni Principis honore & titulo or-bandus cenſebatur, ille verò ut, quod effu-gere voluiſſet, appetere videretur, ſponte omne ſuum in Regnum jus abdicavit Henricoque Lancaſtrio ſucceſſori ſuo dic-to ultrò tradidit, quod publico diplomate ſancitum & divulgatum. Ricardus deinde in Pontifractenſe caſtellum deductus liberè habitus eſt.

Henricus Regnum eo modo adeptus, & æmulum vivum non ferens, quodam die ingemiſcens exclamaſſe dicitur: *ecquis me in-viſo illo homine liberabit?* ſtatimque Petrus qui-dam Extonienſis, eques, ut tanto ſcelere Re-gem ſibi propitiaret, cũ octo aliis, ad Ricar-dum profectus eſt, quem prandentẽ adortus interficere conabatur, exurgens verò pro-pere Ricardus percuſſorum cuidam ſecuri extorta, quatuor ad internecionem multa-vit, tandem ab ipſo Petro Extonienſi infe-lici in capite ictu in terram mortuus pro

 ſternitur,

sternitur, quem parricidæ lachrymæ serotinæ secutæ sunt.

Ita regno vitæque finem imposuit Regum infelicissimus juxta & formosissimus Ricardus.

Anno 1399.

HENRICUS QUARTUS.

ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

HEnricus Lancastrius successor nominatus Regno itaque inauguratur, ut verò Regnum haud usurpare crederetur, quod electione acceperat, jure suo stabilire conatus est, ordine generis ad illud proximum se jactans, ut qui recta ab Henrico tertio lineâ genus ducebat, illud tamen falsum & ementitum, cum Rogerius Mortimerius Merchiæ comes, à seniore Henrici tertii filio stirpem ducens, meliori jure frueretur. Accesserat jus armorum quo, cum sauguine non posset, ut bello partam sibi asseruit coronam. Ut ut sit vis jus demum vicit. Optimo vero exemplo cum jure vixstaret, beneficiis sedem stabilire contendit, omnium injuriarum, quibus se impetiverant, abolita memoriâ, illos vero qui necis Glocestriæ Ducis auctores extiterant, malâ morte multavit, tantum flagitium exhorrescens.

Postquam verò in Gallia fama depositi Ricardi percrebuerat, Rex Carolus omnimodè generi injuriam ulcisci, ipsumque restaurare

restaurare decrevit, rumore autem mortis illius divulgato, facilè omnis consedit impetus. Aquitanici quoque aliique populi ad sui Ducis excidium turbas cientes, missis tempestive nunciis, pacantur.

Turbis cum regnum esset adeptus, non potuit non motibus devexari. Iohannes enim Exoniæ comes cum Iohanne Montacuto, Thoma Cantii Comite nepote, & Hugone Spenserio, aliisque conjurationem inivit, equestris scilicet certaminis ludicri specie Henricum Oxoniam invitatum, inter ludendum fœdè interficere, induxerant animum. Re verò detectâ, frustra fuere. Tunc quod dolo nequiverant aperto bello perficere conabantur. Ricardum quendam suppostitium (ille enim nondum mactatus erat) circum ferentes, quasi miserum restaurare niterentur; copiis vero aut metu aut diffidentiâ dilapsis, auctores hic aut illic capti supremo supplicio afficiuntur. Walli sub illud tempus quoque novos ut solent, motus excitabant, Rege vero maturè cum copiis superveniente haud difficilè dispersi sunt, atque in turbarum auctores animadversum. Georgius Dumbar, dum ista aguntur in Angliam ad Northumbriæ Comitem confugiens, auxilium impetravit contra Davidem Scotiæ Regis filium, ille enim filiam Georgii sibi desponsatam repudiaverat, aliamque dote prioris non reddita, duxerat conjugem. Impetum itaque ambo in Scotiam facientes,

æquo primitus Marte cum adverſariis dimicarunt, ſecundo deinde prælio hoſtes profligarunt, multâque prædâ onuſti domum redierunt.

Thomas interea Vigornienſis Comes, implicitum Wallicis tumultibus Regem haud ignorans, advocato Henrico Staffordiæ Comite ex fratre nepote, cum exercitu, Scotiſque ſua ſponte Anglis infenſiſſimis, bellum Henrico intulit. Ille verò ne morâ malum ingraveſceret, relicta protinus Walliâ, cum copiis ſuis mature adfuit. Cum ambo in procinctu ſtarent exercitus, ad prælium utrinque concurritur, acriter hinc & illinc æquo penè Marte pugnatum eſt, donec accedentes Thomæ Walli perfidi, victoriæ quaſi principium dederint. Henricus vero tum Pater tum filius, vera vi & virtute & ſtupendis editis fortitudinis miraculis, Thoma Vigornienſi lanceâ transfixo & occiſo, hoſtem jam ſpe exultantem & de victoria ovantem profligarunt. Henricus Percius vivus Henrici in poteſtatem venit, & extemplo ſecuri percutitur. Anno 1401.

Northumbriæ quoque Comes partibus haud dubiè implicitus ad Georgium Dumbar Merchiæ Comitem, jam fortunæ ſuæ in Scotia reſtitutum, ut vitæ ſuæ conſuleret, cum omni fortuna, confugit. Hac parta victoria Henricus Princeps in perduelles movit Wallos, nulloque negotio tumultuario bello finem impoſuit,

impoſuit, domitis rebellibus, & auctore Ovino, viro quidem ſtrenuo, ſed quietis inſolente in exilium pulſo, quo vitam ſuam omnium egenus miſere finivit.

Galli interea Wallis rebellibus auxilium laturi cum triginta navibus duce Iacobo Borbonienſi Marchię Comite in altum vela fecerunt, adverſâ vero tempeſtate ad aliam Angliæ oram delati, in Cornubiam venere, & deinde occaſione utentes Plimuthum portum occuparunt, & in terram conſcendentes, obvia quæque ferro flammâque devaſtarunt, duodecim autem navium, exortis ſubitò procellis, mari hauſtis, de reditu cogitare cœperunt, propereque vaſis conclamatis præda graves in Galliam redierunt. Thomas vero Henrici Regis filius Gallicas oras conducta claſſe populatus & nonnullas onerarias naves deprædatus, hanc injuriam ſatis ſuperque ultus eſt. Reges vero Galliæ & Angliæ inteſtinis turbis impliciti & de vindicta propterea minus ſoliciti, in aliquod menſes inducias pepigerunt. Rex ſub illud temporis cælebs Iohannam, Montifortenſi Duci antea nuptam, uxorem duxit, Blanchamque filiam Iohanni Bavari Ducis filio deſpondit.

Per idem temporis Guljelmus Pluntonus quidem ſtrenuus bello eques, cum Mombraii qui extorris Venetiis deceſſerat (ut dictum eſt) familiaribus conjurationem contra Regem inivit. Quibus Nor-

thumbri, & ultimò Scoti se quoque adjunxerunt. Rex verò de ea re certior factus extemplo justo cum exercitu adfuit, & factionem haud ægrè oppresset. Pluntonus cum aliquot asseclis & Ricardo Scrupo Eboracensi Archiepiscopo huic conjurationi nomen etiam dedisse dicto, capitur. Pluntonus omnium suffragiis capitis damnatus, audaciæ suæ pœnas dedit, & postea cæteri quoque, hujus convicti sceleris, alii alio modo enecti sunt.

Rex ut in totum oboleret rebellionem, Henricum Walliæ Principem in Scotos, Pluntono jam auxilio venientes, misit. illi verò cum conjurationem detectam, & auctores supplicio affectos esse audirent, finibus haud excesserant. Henricus verò ne nihil ageret Scotiam ingressus ferro flammâque omnia miserè depascitur, magnumque Scotis terrorem incussit, prædâque & spoliis onustus Londinum ad patrem rediit, qui novis indies motibus èx omni occasione pullulantibus, afflictim vexabatur. Et jam non nemo in vulgus sparserat, Ricardum Regem etiamnum vivere, quo commento plebes, novis rebus avidè suapte naturâ inhians, instigata, periculosas turbas incitasset, nisi prudenter & maturè factio fuisset oppressa. Northumbriæ quoque comes, inito cum Georgio Merchiæ comite fœdere, & Anglorum Scotorumque aliquot conflatis millibus, Angliæ fines ingressus, Eboracense

jam

jam territorium hostili modo deprædatur. Rex verò obviam profectus, tumultuariâ pugnâ totas ejus copias fudit, & dissipavit. Præfecti nonnulli qui Regis in manus pervenerant, Eboracum perducti atque ibi capite mulctati sunt.

Edmundus interea Cantii Comes piraticam Gallos facientes suppressurus, in altum cum justa classe vela fecerat, piratas vero non offendens, pugnandi studio æstuans, in ipso portu ad fanum Brioci eos quæsivit, & quando navali prælio non poterat, terrestri ipsam urbem aggressus est. Ipse vero comes infelici lapidis ictu occiditur, ejus vero milites urbe potiti sunt, qua incensa & spoliata, & incolarum magna parte occisâ, in patriam redierunt. Angli quoque sub illud tempus Arundeliæ Comite duce pro Burgundione rem prospere in Gallia gessere, donisque aucti in Angliam rediere, bello inter Burgundionem & Aurelianensem Ducem nondum finito. Hic vero cum ob illud alienatos Anglorum animos novisset, imploratum illorum auxilium ab Henrico obtinuit, sparsâ vero reconciliationis inter partes famâ, Angli auxiliarii ad Ligerim subsistentes stipendium præstolabantur, quod cum non sequeretur, facto impetu iraque efferati Bellilocum vicinum oppidum cum cænobio diripiebant, & postea duce Clarentiæ Comite avocati milites in Vascones pro Aurelianensi moventes, obvia-

quæque deprædantur, & soluto ab Aurelianensi stipendio pacati in Angliam redierunt.

Henricum verò jam dudum bellis civilibus finem imponentem, & expeditionem in Palæstinam adornantem, classemque in eum finem parantem, subita mors invasit ad Westmonasterium; postquam Regno quatuordecim plus minus annis præfuerat. Sub ejus mortem Iacobus Stuartus Roberti senior (defuncto prius Davide) filius, dum iter in Galliam instituit, ab Anglis capitur, & Londinum abductus, optimo apud Regem habetur loco, Pater vero ejus, filium suum jam perditum ratus, mero luctu & tristitiâ brevi post è vivis excessit, quem frater Robertus ad Regnum secutus est.

HENRICUS QUINTUS, ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

Anno 1413.

HIc Rex miro procerum applausu & populi studio Regno inauguratus, spe quam de se conceperant subditi, fraudare ipsos nolens, optimi statim regiminis auspicium dedit, ablegatis procul à se, quos prius coluerat lasciviæ juventutis ministris, & ne deside cura virilis animus languesceret, conspecto propius suo in Galliæ Regnum jure, ad recuperandum illud curam convertit. Missis primitus fecialibus

à Carolo Rege Regnum repetiit, ſpe facta matrimonii cum ejus filia, minisque adjunctis, ni pareret Carolus, ſe venturum & vi illi patrimonium extorturum. Ludibrio habuit iſtiuſmodi internuncios Carolus, quo uſque adeo Henrici animum inflammavit, ut conſcripto protinus ingenti exercitu, cum mille & ducentis navibus plus minus, in Galliam trajecerit. Harfleum primitus obſidione cinxit, & intra paucos dies ad deditionem compulit. Inde Sommam trajecturus ad Maxentii fanum hoſtem obviam habuit. Caſtra itaque metatus eſt. Verum cum hoſtem pugnæ minus avidum videret leviter nonnihil velitatus Caletum movit. Gallus interea cum animus redierit feciales ad Henricum miſit qui non invitum ad prælium provocarunt, quos donatos dimiſit, trajecto vero fluvio quodam, confeſtim adeſt nuncius, hoſtem in procinctu ſtare. Quapropter ad pugnam ſe propere ſuccinxit, quanvis longe viribus eſſet inferior. Concurritur tandem ad prælium, Henricus vero induſtriam virtuti jungens, adeo hoſtiles adortus eſt copias, ut poſt acerrimam hinc & inde pugnam Gallos tandem profligaverit. Ipſe hoſtibus immiſtus propriâ manu Alenconium Ducem in terram conjecit, qui mox ab Anglis militibus occiſus eſt. Tanta fuit captivorum copia ut victores longe ſuperarent, quâpropter omnes interfici juſſum, ne forte reſurgentes victoribus negotium

 faceſſerent.

facesserent. Mira quoque fuit occisorum Ducum, Comitum, & procerum copia, ab Anglis parum ultra sexcentos desiderati, quos inter Eboracensis Dux fuit. Hæc ad Dagincurtum exhibita est pugna, quæ maximis deinde victoriis auspicium præbuit. Tantum hac victoriâ terrorem Gallis Henricus incussit, ut Ludovicus Delphinus, contractâ ex hac clade animi & corporis ægritudine, paucis post diebus obierit. Ante omnia, mirabilis fuit Henrico Regi animi constantia, sub capitis supplicio omnibus militibus interdicto, ne quis lascivis cantilenis in Gallorum ignominiam, uteretur, sed hymnis potius, & Divinæ gloriæ accommodatis Psalmis.

Sigismundus Augustus interea in Angliam appulit, de pace inter Gallum & Anglum acturus, nec segnem se præbuit Henricus, cum verò interea Harfleum Gallus obsideret, adeo excanduit, ut nemo postea aliquam de pace mentionem injicere ausus sit, & statim misso ad liberandam urbem Duce Bedfordiensi, cum Merchiæ, Oxoniæ, aliisqus comitibus, & ducentis navibus, ad Harflei portum, cum Gallorum ammirallio Borbonio acerrima oritur navalis pugna, quâ Angli superiores, mersis Gallorum quingentis admodum navibus, oppidum obsidione liberarunt. Cæsar vero conspecta Gallorum perfidià, non modo nullam in posterum de pace mentionem fecit, verum

rum etiam fœdus cum Anglo ſtrictiſſimum icit, adverſus qualescumque ejus hoſtes, Pontifice ſolo excepto, atque adeo Germaniam verſus iter inſtituit. Galli interea ne nihil agerent, conductis Genovenſium aliquot prægrandibus navibus, Harflei portum obſidentes, omnem commeatum excludere ſategere. Huntintonius verò Comes illas ſubitò adortus, poſt diutinam pugnam omnes diſperſit, aliquas expugnavit, Ducemque Borbonium Nothum cepit, atque adeo victor in Angliam rediit. Rex deinde cum præcipua nobilitate & magno exercitu in Normanniam rediit, Tuchamque arcem expugnavit, Dum Sarisberienſis Albervilleriam in ſuam poteſtatem redigeret, quem locum victori & poſteris dono dedit. Cadomum deinde oppugnavit, quam urbem cum oppidani mira pertinaciâ defenderent, confoſſis clam cuniculis, militum promptiſſimi duce Clarentiæ regulo in urbem penetrant, adortique præſidiarios omnes profligant, atque adeo univerſo exercitui via data eſt, præcipuorum nonnulli ob pertinaciam morte mulctati ſunt, & urbis ſpolia inter milites diſtributa. Arcis vero nondum deditionem fecerat præfectus, cum autem nulli parcere ſi perſiſterent Rex dejeraret, manus tandem dedit. Gallis interea domeſticis turbis involutis, omnia pro libitu Anglo ſucceſſere. Clarentiæ ducem Bajocenſium oppidum oppugnatum miſit,

 quod

quod ille brevi expugnavit, deinde Lexoviorum, dum ipse Cadomi subsistens, ingentem oppidanorum thesaurum, in arce inventum, quem eò territi cives detulerant, ipsis (miro pietatis exemplo) restituerit, ut eò firmius in fide persisterent. Ipse deinde Corseum movit & intra tres dies oppidum sui juris fecit. Argentanium deinde, postea Alenconium, tunc Falesiam, atque adeo victor Cadomum reversus est. Eadem penè mari fortuná usus est, variis expugnatis hostium navibus, adversa vero cum tempestate classis ejus diu luctata, cum Southamptonium appellere nititur duarum navium jacturâ temperatur victoria. Warvicensis interea Comes & Talbothus Damfrontium arcem domant, & Clarentius Curtonium, aliaque plurima oppida in suam potestatem redegit. Rotomagum deinde obsidione Rex aggressus est & pertinacius resistentes oppidanos fame tandem ad deditionem compulit, cujus ut primarii oppidi exemplum alia pluscula secuta sunt, adeo ut brevi tota Normanniâ quam Parentum incuriâ amiserat, potitus sit. Burgundionum Dux, ut omnia Anglis ex voto succederent contemplatus, è re sua duxit pacem inter utrumque Regem procurare, tandemque conventum inter Henricum & Galliæ Reginam (Rex enim in solitum delirium inciderat) impetravit, nec quidquam tamen actum est. Regina pulcher-

lcherrimam filiam suam Catharinam ad-
uxerat, ut illecebris Regis animum per-
ingeret, nec in cassum, cum illâ visa
enricus mirum in modum ardesceret,
umque re infecta jam discederent, Hen-
cus Burgundioni injunxit, ni quæcun-
ue petiverat, cum ipsa Regis filia conce-
erentur, vi & violentiâ se Duci Ducatum,
egique Regnum erepturum, quibus mi-
is territi in novum pacis colloquium
onsentiunt. Delphinus verò ex hoc re-
enti concepto odio, & jam pridem inve-
erata invidiâ flagrans, Burgundionem
revi post, quanvis genua ipsius advolu-
um fœde trucidari jussit, atque adeo Au-
elianensis cædes, à Burgundione ante
erpetrata expiata est. Nec tamen pax
ancitur, donec novâ indies jactura
d illam Galli compelluntur. Tricassii
onventus instituitur, atque inibi Catha-
ina Henrico desponsata, & jus successio-
is post Caroli mortem, ad Galliæ Reg-
num, concessum est. Quapropter ab om-
nibus Galliæ proceribus in ejus verba ju-
ratum; atque adeo Lex Salica in Gallia vi-
tium fecit. Delphinus qui in has condi-
tiones minimè consenserat; ab Anglo Gal-
loque Regibus bello petitur, variaque op-
pida quæ ejus partes amplexabantur ex-
pugnantur, & ipse cum ad dictum diem Pa-
risiis ante marmoream tabulam (id tribu-
nali nomen est) non apparuisset, in exi-
lium proscribitur. Henricus quoque aucto-

 ritate

ritate suâ usus monetam, mixtis Angliæ Galliæque insignibus, conspicuam, cudi jussit, cui salutis nomen dedit. Deinde Clarentiæ Duce Galliæ & Normanniæ præfecto ipse in Angliam profectus est. Clarentius vero Andegavenses factâ expeditione populatus, & prædâ gravis domum revertens, in itinere à proditore Andrea Fogoso deceptus, ab Alenconio Duce cum præcipua nobilitate, & duobus Anglorum militum millibus, fortiter pugnans occisus est. Sommersetensis & Suffolciensis comites aliique proceres vivi hostium in manus venere. Rex fratris mortem ulturus, ingenti cum exercitu in Galliam trajecit, & Carnutes ab obsidione Delphini liberavit, ipse enim audito] Henrici adventu Turoniam se contulit. Dum Scotiæ Rex, cum Duce Glocestriæ Drocas expugnat, Delphinum de loco in locum Henricus prosequitur, nec dum assequitur, quanvis obvia quæque oppida diripuerit, adeo ut brevi omnem Galliæ insulam cæteris adjunxerit.

Regina interea filium Vindesorii enixa est, cui Henrico nomen fuit, de quo Henricus Rex, velut divino spiritu afflatus prædixisse fertur: *bone Deus ego Henricus Monmuthensis breve regnum habebo multa verò profecero, Vindesoriensis verò diu regnabit, & omnia perditum ibit, fiat autem Divina voluntas.*

Sub illud tempus Delphinus Conenses obsede-

obsederat, quos ut liberaret Henricus advolans, & nimium festinans, febrem ex ardore contraxit, subsistere ergo necessè habuit, missus vero Bedfordiensis Dux, non modo Conensibus opem tulit, verum etiam Delphinum Bituriges versus egit, qui exinde in ludibrium Biturigum Rex indigetatus est. Henrici vero morbo, accidente ventris profluvio, ingravescente indies, ad Vincentianum nemus defertur, ubi intra paucos dies piè obiit, Anno M CCCC XXI, Bedfordiensi Duce fratre Normaniæ, Galliæque regentis titulo, prius præfecto, fratre verò altero Glocestriæ Duce Angliæ, præposito. Trigesimum sextum annum nondum egressus erat, atque adeo summo ætatis & honoris flore extinctus est, novem annis & quinque mensibus Regno potitus, Regum omnium victoriis clarissimus, & subditis gratissimus, ut qui ejus mortem miro luctu, secus quam accidere solet, miserati, à publico ejulatu non abstinuerint. Wytcliffianorum illo Rege doctrina invaluit, quâ Iohannes Hussus, & Hieronimus Pragensis imbuti, postea jussu Cæsaris vivi combusti sunt.

HENRICUS SEXTUS,

ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

HEnricus Vindesoriensis, Henrici quinti unicus hæres, Regnum defuncto

functo patre adeptus est, nono ætatis mense, qui cum adoluerat nec virtute nec fortunâ patri similis fuit. Parisiis auctore Bedfordiensi duce Rex proclamatus est jurantibus in ejus verba Regni proceribus. Rege vero Carolo sexto paulo post Henricum mortuo, filius ejus Carolus septimus, quod segnitie Galli amiserant industriâ & virtute recuperare statuit. Pontem Mulanum primitus expugnavit, quæ urbs virtute Montacuti ipsi deintegro extorta est. Varia deinde fortunâ pugnatum, ad Crepantium duo Gallorum ad modum millia, quos inter plurimi nobiles, cecidere, oppidumque amissum est. Anglos vero, Normanniam versus magnam pecoris vim abigentes, Carolus adortus profligavit, prædâ exuit, fanumque Michaelis obsidione liberavit. Mutatâ deinde belli aleâ ad Vernolium altera clade ipse afficitur. Clara tamen extitit Aurelianensium fides, qui suburbiis suis solo æquatis Sarisberiensi Comiti strenuissimo bello Duci qui ipsos obsidione cinxerat, multum facessebant negotii, cumque fame ingravescente Burgundioni belli socio se dedere patabant, indignatus Sarisberiensis sibi præripi honorem, conditiones detrectabat. Ipse vero dum urbis situm incautius speculatur ictu tormenti è mœnibus interficitur.

Interea Glocestriæ Dux haud parvam honori suo maculam inussit, ducta uxore

Iacoba Hollandiæ Comitiſſâ, quæ Iohanni Brabantiæ Duci antea nupſerat. Illa autem dolo capta, ad priorem maritum reducitur, de novo verò virili veſtitu incognita in Hollandiam evaſit, atque illinc marito ſuo bellum intulit, cumque eſſet viribus inferior, & Pontifex priori matrimonio illam ſolvere nequiret, repudiavit illam Gloceſtriæ Dux, quæ poſteà equiti Franco Borſelenſi Batavo nupſit, illo vero à Burgundione in carcerem conjecto, miſeram Iacoba vitam in poſterum duxit. Proſpere interim diverſimodè in Gallia ab Anglis pugnatum eſt, variaque oppida recuperata. Aurelianenſibus verò Divinitus quaſi allatum auxilium haud parum Gallorum res firmavit. Iohanna enim ruſtica puella quæ juventutem paſcendis ovibus duxerat, Regnum infeſtis Anglis liberare cupiens ad Regem ducitur, qui virginis animum miratus, cum omnia ſancta & caſta in illa deprehenderet. Ipſa virilibus armis induta, commeatum cum acceptis à Rege Carolo copiis Aureliæ intulit, crebriſque eruptionibus obſidionem tandem ſolvit. Multis deinde, quanvis levioribus præliis Anglos mirum in modum defatigavit. Ad tria Anglorum millia in Belſia cæſa ſunt. Nec etiam rebus ſuis defuit Carolus, ſed duce puellâ Rhemos profectus Regni inſignia addeptus eſt. Pariſios deinde copias duxit, dum Bedfordienſis quoque rerum ſuarum

ſatagebat nullam elabi rei bene gerendæ occaſionem paſſus. Puella obſeſſo Compendio opem latura accepit in crure vulnus, atque adeo receptui cecinit. Urbem tamen irrupit bellatrix, factâ vero deinde in hoſtes eruptione, capitur, & ſuperſtitionis magicæ (ut dicunt) convicta, viva crematur. Compendium tamen obſidione exemptum eſt, & Melodunum, Corvolium, aliaque oppida recuperata. Angli verò ut in Gallia partibus ſuis majeſtatem conciliarent evocatum Lutetiam Henricum Regem, duodecimum annum agentem, Regno Galliarum inaugurant, jurantibus in ejus verba qui aderant regni proceribus. Carolus interea Carnutes aſtu aurigæ cujuſdam, in porta excubitoribus piſces donantis, recepit. Atque adeo felicioribus rebus ſuis inſtitit. Regnum interea mire devaſtabatur, nihil in agro intactum & reliquum erat, & lamentabilis ubique rerum facies. Deinde ſatiatis utrinque belli ducibus de pace in Atrebatibus agi cœptum eſt, conveniunt, Anglus dulcedine regni Gallici ineſcatus, placari non potuit, Burgundio ; Matiſcane, Fano Gengonis, Altiſſiodoro, aliiſque datis oppidis pacatus eſt. Maxima exinde indignatio inceſſit Anglos, Burgundionem, fidelem eò uſque belli ſocium ſuas partes deſeruiſſe ægerrimè ferentes, ſumptâ adeo ira Gallis exitio, & depoſita ſaluti fuit; brevi enim grave illud jugum diſcuſſere,

nam

nam Lutetia statim extulit animum, Anglosque urbe pulsit, & ab alia parte Burgundio eodam quo antea Anglis studio, nunc Gallis opem tulit. Accesserat Bedfordiensis ducis Galliæ rectoris mors, quæ rebus Anglicis haud parvum detrimentum quoque attulit, aliæ deinde urbes Lutetiæ exemplum secutæ ad Carolum defecere, immo Normanni vix in fide perstiterunt, clade vero quinque millium aut territi aut pacati sunt. Rebus Anglorum adeo in Gallia fatiscentibus, non in urbes & munita ut antea oppida, sed in Castella vilesque arces impetus factus est. Burgundio Eboracensi Duci qui Bedfordiensi successerat, bellum quoque intulit, & Caletum obsidione cinxit, sed tempestivè vasa conclamavit, Glocestrius enim dux magno exercitu postero die appulit, qui abiisse hostes conspicatus, ferro flammâque omnia devastavit. Scotus interea Rupisburgum Castrum obsederat, de reditu autem Eboracensis ducis, comitisque Northumbriæ adventu certior factus, obsidionem properè solvit.

Harfleum interim in Gallia corruptis prætio præsidiariis, hosti traditur. Somersetensis vero dux & Talbothus, terrâ marique urbem deintegro adorti, in conspectu Aurelianensium ducis qui cum aliquot copiis advolaverat, illam recuperarunt. Iacobus interea Scotiæ Rex postquam decem in Anglia annis captivus fuerat, liber-

tati tandem restitutus divitique matronæ locatus, at tamen postea ingratus, in cubiculo suo nefariè occisus est. In auctores graviter animadversum. In Gallia interim diversâ variaque fortunâ res utrinque gesta est. Et quà virtute quà dolo plurima oppida & expugnata & recuperata sunt. In Anglia lite inter ducem Glocestriæ & Cardinalem patruum gliscente, Glocestriæ Ducis uxor veneficii a Cardinale postulatur, quasi magicis artibus Regis vitæ insidiata fuisset, intentatum facinus publicè expiare illa adacta est, quanvis in ipso supplicio alii rei illam excusarent. Principum vero Christianorum intercessione de pace inter Gallum & Anglum agi cœptum est. Pax non sancitur, verum induciæ in octodecim menses concessæ sunt. Interea Suffolciensis Comes suapte auctoritate matrimonium inter Henricum Regem & Andium Ducis filiam Margaritám contraxit, multumque de puellæ forma & dote jactans, Regi tandem persuasit, quanvis antea Armeniaci Comitis filiæ fidem dederat. Hoc matrimonium contractum exiguum rebus Anglicis emolumentum dedit, cum in commutationem maxima Normanniæ pars Gallo ceditur. Dux quoque Armeniacus injuriam filiæ illatam ulciscens, omnes Aquitaniâ exegit Anglos.

Conceptum jam & inveteratum inter Somersetensem, & Eboracensem Duces, repullu-

repullulare visum est odium. Ille hunc quanvis in Gallia rem bene gesserat, dolo & injuriâ munere Proregis exauctoravit, seseque dignitati intulit, frendente nequicquam Eboracensi. Rex enim nihil minus quam Regni curam gerebat, omnis penes Reginam Margaritam & Suffolciensem Marchionem auctoritas. Quinetiam operantibus adversariis, Glocestriæ Dux qui apud universum populum tam benè audiebat, ut boni Ducis vocabulo indigitaretur, loco etiam suo movebatur, & inscio Rege clam indicto Parliamento capitis postulatus, in carcerem conjiciebatur, ubi postero die (quo modo incertum) miserè occisus est.

Stratagemate ab Anglis urbe Fulgeris, & à Gallis Larchâ oppido occupatis, fractis induciis in bellum utrinque erumpunt. Galli, deside & neglecto Somersetensi, penes quem ut dictum est, rerum summa, varia oppida, expugnarunt, & in Aquitania diversa ultro ad Gallos defecere, quæ interRotomagum oppidum,aliorum exemplum secutum, aliaq; insuper Anglis clades illata. Harfleum quoque & Cadomum urbes, quanvis mascule defensæ, desidiâ tamen Rectoris Somersetensis, Gallis tradebantur, qui adeo nullo penè negotio, tota Normanniâ potiti, ipsam Galliam excepto Caleto sibi asseruerunt. Eboracensis Dux qui Anglis in Gallia auxilio veniret, exurgentibus jam Hibernis, eò cum

exercitu

exercitu profectus, brevi illos in ordinem redegit, quo haud parum populorum sibi animos propitiavit, rebusque suis magnum emolumentum dedit.

Cum vero in Gallia res minus ex voto fluebant auctorque omnium Somersetensis, & post eum Suffolciensis habebantur, diversa contra hunc ab inferiori Parliamenti consessu, accusationes exhibentur, quarum convictus in carcerem quidem conjicitur, brevi autem post libertati restituitur. Novo autem indicto consessu, instante inferiori domo, ad quinquennium in exilium mittitur, dum vero in Galliam vela faceret, ab Anglis intercipitur, & securi percutitur, relicto fœde in littore trunco, atque adeo Ducis Glocestriæ mors expiata est. Ricardus Eboracensis interea conciliatis sibi Hibernorum animis, diuturno rubræ & albæ Rosæ dissidio, Iurique suo ad Regnum principium dedit, ille enim à Leonelo Clarentiæ Duce tertio Eduardi tertii filio, originem ducebat. Nec difficilè erat Regni statum mutare, cum tot abusus & errores, vulgo ipsi notissimi irrepserant, & Rex Henricus ineptus planè ad Regimen, vel apud plebem audiret, cujus stolidâ incuria Gallia Normanniaque perditæ erant. Cantiani denique Iohanne Mortimerio, auctore Eboracensi nomen dedere, magnoque & instructo exercitu Londinum versus Duce ipso Mortimerio profecti sunt. Inter Elthamum & Grenovicum

substitit

substitit exercitus, querelas interea suas de præsenti Regni statu Regi Regioque senatui exhibens, & inter cætera rogans ut Eboracensis, & cum eo Exoniæ Buchingamiæ, & Norfolciæ Duces gratiæ locoque restituantur, responsi nihil datum, sed ad arma conclamatum. Cantiani vero ubi ad pugnam ventum, occisis duobus Staffordiensibus, copiarum ducibus, regios in fugam vertere. Ex quo maxima regiorum defectio, certatim enim ad Mortimerium regii milites transfugiebant, cujus adeo vires mirum in modum increscebant. Rex itaque ad Castellum Killinworthum in Warvicensi comitatu situm, confugit, omnem ibi fortunam opperiens. cujus decessu Mortimerius audacior ad Londinense suburbium & deinde ponte occupato Londinum venit, nulli omninò illata injuriâ, optima enim disciplinâ militũ cohibuit ferociam, qua re multorum sibi studia conciliavit, postea vero Cantiani spe prædæ efferati in nonnullos ditiores cives impetum fecere, quo male apud omnes audiebant. Londino jam potitus Mortimerius, quosdam errorum ministros ut Ioannem Saijum principem Angliæ quæstorem, ejus generum, aliosque securi percussit. Londinenses verò superbiam ejus aversati, vim parabant, & impetrato à Scaleo turris præside auxilio, cum illis quas corraserant copiis, duce Matheo Gogtho, noctu Mortimerii milites ad suburbia

burbia Divi Georgii, cis Thamesim degentes, acie adoriuntur, tantâ vero vi Cantiani resistunt ut Londinenses pedem referre, pontemque victoribus relinquere adacti sint. Qui deinde jam furore incalescentes, domunculas in ipso ponte stantes injecta igne incendere aggressi, magnam omnibus stragem, & terrorem intulerunt. Cantiani verò effervescente jam impetu & facinora quibus se Mortimerius impiaverat aversati, domuitionem affectabant. Quod cum Rex non ignoraret, misso impunitatis diplomate, atque adeo omnibus dilapsis copiis. Mortimerium præsidio exuit, qui deinde cùm fugâ sibi consuleret, captus, & interfectus est.

Hic quidem sedatus est tumultus, gravior autem longe brevi enascitur. Eboracensis enim jure suo fretus Londinum venit, specie querelarum contra adversarios suos, & præsertim Sommersetensem (qui amissâ Galliâ, jam domum redierat) exhibendarum, revera ut socios sibi conscisceret, Norfolciensem, Sarisberiæ, & Devoniæ Comites sibi conciliavit, atque inde in Walliam profectus exercitum quantocyus conscripsit. Quo Rex audito vim & ipse parabat, constructisque copiis cum Sommersetensi Duce, eò properè profectus est. Ambo exercitus tandem conveniunt, & Rex missis internunciis tanti tumultus causam Eboracensem rogat, qui omnem culpam in malos Regis consi-

consiliarios, & præsertim Somersetensem conjecit, promittens, si ille in carcerem conjiceretur, donec coram judice ipsius causa disceptata esset, se protinus copias suas dimissurum. In vincula igitur ad speciem conjicitur Somersetensis, & Eboracensis exercitui commeatum dedit, quo demisso Rex cum Eboracensi Londinum versus profectus esset. Somersetensis verò qui antea in carcerem erat conjectus, jam libertati restitutus Regem comitabatur, & ejus loco Eboracensis captivo similis ante Regem ducitur. Londinum tandem ventum atque ibi gravis inter utrumque Ducem ante senatum Regium disceptatio exorta est, altero alterum proditionis insimulante, res tandem eò venit, ut Eboracensis solenni Sacramento fidem suam Regi assereret, & Wigmorum castellum suum versus abiret, Eduardum enim Merchiæ Comitem Eboracensis filium & hæredem instructo cum exercitu advenire fama erat. Nuncius quoque interea à Burdegalensibus adest, auxilium contra Gallum flagitans, mittitur eò Comes Salopiensis Iohannes Talbothus, qui post rem strenuè gestam ictu tormenti interfectus est. Galli ejus morte omne territorium quod perdiderant excepta Burdegalâ recuperarunt.

Eboracensis vero Dux subditorum interea animos dextrè sollicitabat, deinde conciliata sibi nobilitate, sua sponte Somersetensi infensa, & sociatis sibi Saris-

 beriensi

beriensi & Warvicensi Comitibus, tantum præstitit ut Somersetensis absente Rege in turrim mitteretur. Henrico verò (postquam illud innotuerat) quanvis ægroto Londinum redeunte, non tantum liberatur, verum etiam Caleto cæterisque in Gallia urbibus & locis præficitur. Quâ re valde permotus Eboracensis maximo cum exercitu comitantibus sociis Londinum movit. Rex cum Somersetensi, Buckingamio ejusque filio Humphredo, Northumbriæ Comite, & justo exercitu, obviam proficiscitur, ad Albani fanum in conspectum venere exercitus. Eboracensis mane missis ad Regem literis Somersetensem sibi tradi poposcit ut judicio sistatur, negante vero Rege, fit in ejus copias impetus. Somersetensis & cum eo Northumbriæ, & Humphredus Staffordiæ Comites, & quinque militum millia in pugna cecidere. Multi vulnerati captique. Rex ipse qui in casam rusticam metu telorum confugerat, conjuratorum in manus venit. Hoc prælium in 23. May diem & decimum tertium hujus Regiminis annum incidit. Eboracensis verò, adversario jam extincto cæde omni abstinere jussit & cum Rege Londinum proficiscitur. Conscripto verò postea parliamento, omni culpâ eximitur ipse, Regisque & Regni protector nuncupatur, Sarisberiensis Comes Cancellarius factus & Warvicensis Caleto præfectus est. Quibus muneribus quisque gnaviter invigilavit.

gilavit. Regina verò Eboracensis auctoritatem non ferens, nece filii Buckingamium, patris verò Somersetensem juniorem, ad iram inflammare non destitit, & cum iis jam satis instigatis Grenovicum fecessit, ibique habito consilio, Eboracensi sociisque injunxit ut suis muniis renunciarent. Illi verò detrectarunt. Postea dolo blanditiis commisto, intercipere eos & malè multare nixa, frustra quoque fuit, illi verò ne gravioribus malis causam præberent alii aliò profecti sunt. Missis autem postea invicem nunciis, omnes Londinum cum instructis copiis venere, & operâ Cantuariæ Archiepiscopi & aliorum, omnium præteritorum abolitio, & pax utrinque conclusa est, quæ solemni Religionis apparatu confirmantur. Nec diu tamen constitere, sumpta enim ex domestica quadam Warvicensis & Regis famulorum lite occasione, Warvicensi manus injicere conatum est, ipse verò præviso discrimine citatis equis Eboracum ad Ducem patremque Sarisberiensem Comitem contendit, quos rei certiores fecit, ipse autem conscensa quæ ad litus stabat classe (rei enim maritimæ præfectus erat) Caletum properavit.

Sarisburiensis interea cum quinque militum millibus ad Regem proficiscitur, ut illi injuriam filio illatam, inveteratumque, jam vero detectum Reginæ odium, exponeret, Audelæus autem qui Reginæ &

Buckingamiæ Ducis jussu decem admodum militum millia corrasferat, obviam ipsi factus cæditur, duo millia & quadringenti occisi, cæteri fugâ sibi consuluere.

Eboracensis verò non ultra dissimulandum ratus, conscripto exercitu cum Sarisberiensi, & Warvicensi Comitibus bellum movet, instituto verò inter partes colloquio, & data omnibus Regis nomine impunitate, plerique à Ducibus defecere, omniaque conjuratorum consilia detecta sunt. Quo ad desperationem adactus Eboracensis, cum juniori filio Ruthlandiæ Comite in Walliam primitus & deinde in Hiberniam confugit; Merchiæ, Sarisburiensis, & Warvicensis Comites Caletum versus iter instituerunt, gregario militi venia data, præcipui nonnulli supplicio affecti sunt, conscripto verò deinde parliamento, proditionis omnes convicti & damnati sunt. Somersetensis quoque Reginæ intercessione Caleto præfectus est, quando verò præfecturæ suæ se inferre niteretur, tormentis ex ipsa urbe petitus, aliò se conferre adactus est. Ad ejus rei famam Regina in furorem acta, omnes quæ in portu Sandovicensi stabant naves eò agi jussit. Iohannes vero Dynhamus Merchiæ Comitis causâ eas adortus omnes expugnavit, cumque præfecto Riverio Caletum duxit.

Warvicensis Comes, ad Eboracensem quoque in Hiberniam navigavit, quocum

misso

misto consilio, sospes Caletum rediit. Simon Montifortensis quinque portuum curam gerebat, omnesque aditus, ne Warvicensis Regnum intraret servabat, ipse vero per exploratores rei admonitus, facta in ejus classem nondum paratam impressione, urbem Sandovicum expilavit, & Simonem cum magna præda Caletum duxit. Intellecto verò præsentiam suam à Cantianis admodum desiderari, secundò Sandovicum venit, ubi Cobhamus Dominus cum maxima nobilium copià ipsi accessit, quapropter viginti quinque millium militum exercitu jam instructus Londinum ex templo copias movit, turrimque occupavit, ex qua magnum postea damnum Londinensibus intulit; patre verò Sarisberiensi Comite in via esse comperto, trajecto Thamesi se ipsi adjunxit.

Rex autem cum Buckingamiæ & Somersetensi Ducibus & maximo exercitu ipsi obviam profectus, ad Northantonium hostium in conspectum venit, acies utrinque concurrunt & summo ardore pugnatum est, Humphredus Buckingamiæ Dux cum Iohanne Thalboto, Salopiensi Comite, Thoma Egremontii Domino, Iohanne Bellomontensi aliisque occisus est, & tam ab una quam ab altera parte ad decem militum millia. Annus hic fuit M CCCC LX. Regina cum Somersetensi Duce filioque elapsa est, Rex vero precibus magis quam pugnæ intentus, captus

& Londinum ductus est. Turri mox Warvicensis potitus est, & Scaleus dominus præfectus, dum trajecto flumine elabi conatur, quanvis ignotis vestibus amictus erat, detectus tamen & decollatus est. Eboracensis Dux percepto hujus successus nuncio, desertâ Hibernia, citatis equis Londinum advolat, ubi solenni conventu jus suum in Angliæ Regnum exposuit, genus suum ad Lyonelum tertium Eduardi tertii filium Iohannis Gandavensis, patris Henrici quarti usurpatoris fratrem seniorem, deducens. Regnum autem, adipisci nolebat, nisi jus suum omnibus apertè constaret, inito ergo consilio, Henrico Regi dum viveret Regis titulus conceditur, Eboracensis successor ejus nominatur. Regina interea conscripto in Scotia evercitu Angliam continuò invasit. Eboracensis verò cum juniori filio Rhutlandiæ & Sarisberiensi Comitibus obviam ipsi profectus est, relictis Henrico Regi præsidio Warvicensi, & Norfolciensi Comitibus. Insidiis verò circumventus ipse cum tribus militum millibus occisus est, nec Rhutlandiæ Comiti duodecim annorum puero, quanvis ardentibus lacrymis mortem deprecari niteretur, parcitum est. Sarisberiensis qui vivus in hostium manus incidit, & quotquot cum ipso capti erant, muliebri furore, securi percutiuntur. Hunc vitæ suæ finem imposuit Ricardus Plantageneta Eboracensium dux.

Merchiæ Comes audito patris exitio, majori quam antea ardore rem jam suam curabat, conducto viginti trium millium militum exercitu, Pembrocensem & Ormontii Comites fudit, Ovenum Tuthetum qui Catharinam Henrici sexti matrem uxorem duxerat, vivum adeptus securi percussit. Regina verò Eboracensis Ducis morte exultans cum copiis suis Londinum versus profecta est, & Norfolciensem Ducem, Warvicensemque Comitem obviam habuit, illi autem pugnam quidem ausi, scelere verò suorum deserti, fugâ sibi consulere necessè habuere. Rex Henticus ea victoriâ in Reginæ potestatem rediit. Eduardus interea Merchiæ Comes, communi omnium consensu Regno, secundum ordinum decretum, inauguratur, magnoque conscripto exercitu ad Tontonium vicum, Regi & Reginæ obviam factus, conserto prælio eorum copias profligavit, fortissimi quique cecidere, cæteri fugâ salutem quæsiverunt, Rex cum Regina in Scotiam elapsus, Regnum Eduardo ejus nominis quarto reliquit.

EDUARDUS QUARTUS.

ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

Anno 1461.

EDuardus coronam tandem adeptus, quietè illam possidere nequivit. Henricus enim qui in Scotiam confugerat,

conſcripto Scoti ope exercitu deintegro bellum intulit. Eduardus vero ſupparibus copiis obviam factus conſerta ad Exhamum manu, Henricum ejuſque milites in fugam convertit, ad triginta hominum millia utrinque cæſa ſunt, cùm juſſu Eduardi, nulli parceretur. Somerſetenſis Dux qui prius ad Eduardum rerum Henrici deſperatione defecerat, & ſtatim ad tanti exercitus famam mutato conſilio ad Henricum refugerat, captus & capite plexus eſt. Henricus iterum in Scotiam ſe contulit, aliam rebus ſuis faciem opperiens. Poſtea verò cum in Angliam ignotis veſtibus rediret, ab Anglis captus, Eduardo traditus, & ab eo quo Regni ſtatus pacatior eſſet, in carcerem conjectus eſt.

Rem domeſticam Eduardus interea curabat & Margaritam ſororem Burgundionis Philippi filio Carolo locavit, frendente nequicquam Warvicenſi Comite qui Burgundionem peſte pejus oderat. Ex quo aliiſque cauſis grave inter eos diſſidium enaſcitur. Warvicenſis enim contracto in Regem odio fratres Eboracenſem Archiepiſcopum, & Montacuti Marchionem, compoſita oratione, & deinde Clarentiæ Ducem Georgium Regis fratrem deſponſatâ illi ſorore, in partem ſuam ſeduxit, & cum Duce Caletum verſus iter inſtituit, cum urbi etiamnum præfectus erat, data fratribus provinciâ dum abeſſet tumultus in

Ebora-

Eboracensi agro excitandi. Gnaviter illi negotio invigilarunt, citatoque brevi tumultu, plebs ut plerunque fit, cæco furore vel in innocentes instigata, Londinum infestis armis proficiscitur, ut inde vel ignotis malis, remedium quærerent. Eduardus ad hujus seditionis famam, misso Guljelmo Harberto Pembrucensi Comite, sistere plebis furorem nititur, ille verò postquam ad manus ventum, momento temporis profligatur. Warvicensis interea ad rei famam cum Clarentiæ Duce Caleto in Angliam appulit. Et paratas mox copias jungentes prælio sese accingunt. Eduardus primâ jacturâ haud territus Pembrucensem novis viribus instructum deintegro illis obviam misit. Conserto verò prælio ipse, profligato exercitu capitur, & Warvici cum alia nobilitate capta securi percutitur. Institutum est deinde de pace Colloquium, & missis ultro citroque nunciis Rex in spem concordiæ erectus, securius agebat, quod Varvicensis haud ignorans, noctu Eduardi castra aggressus, cæsis custodibus, Regem inopinantem capit, & Varvicum primitus, deinde in agrum Eboracensem ad Arcem Middelhamum, in custodiam ducit. Ipse verò blandè custodes compellans prætioque promisso corrumpens, conniventibus illis, brevi Eboracum evasit, ubi humaniter à civibus acceptus est, & inde corraso Hastyngii ope exercitu Londinum incolu-

 mis

mis pervenit. De pace interim Londini, quo Warvicensis cum Clarentiæ Duce profectus erat, in cassum cœptum est agi, stomachantibus enim & irarum plenis animis, ad illam tranquillitatem res perduci non potuit, re infecta ergò discedunt, & Warvicensis de novo copias conscribit, quibus Robertum Welles Ricardi filium præposuit. Rex interea cum præter spem ad arma redeundum esse comperiret, Roberti patrem Ricardum & ejus affinem Thomam Demoke equitem, ad se vocavit, qui acceptâ à Rege impunitatis fide accesserunt. Iussit illis Rex ut Robertum ab armis discedere cogant, & raptim corraso exercitu obviam interea cum Thoma & Ricardo profectus est, cumque jam ad hostem ventum esset & compertum Robertum patris admonitionibus minime acquiescentem, etiamnum in armis stare, patrem & affinem contra fidem datam (pessimo exemplo) securi percussit. Conserto deinde prælio Roberti copiæ dissipantur, ipse vivus in manus Regias incidit & extemplo capite multatus est. Warvicensis ad rerum famam cum Duce, consilii inops, in Galliam ad Ludovicum Regem vela fecit, à quo magnificè acceptus est. Regina Margarita Henrici uxor cum Eduardo Principe quoque brevi adfuit. Mistis itaque consiliis, fœdus tandem inter Regem, Comitem, & Reginam ictum est (dehortante incassum Eduardo) filiaque Warvicensis

Eduardo

Eduardo desponsata, dataque utrinque fides non destituros priusquam Regnum aut Henrico aut Eduardo filio restitueretur. Exercitus jam non contemnendus conscribitur, & ingens classis ad Sequanæ ostium in anchoris stabat. Warvicensis itaque amicorum literis invitatus cum exercitus parte, parata classe, & Comitibus Oxoniensi & Pembrucensi (Regina quæ parata nondum erat, ad lætam rerum famam sequeretur) quanvis Burgundionum Dux eum cum classe observabat, incolumis Dermuthum appulit. Postquam terram conscenderat, famaque de ejus adventu sparsa erat, mirum est quanta hominum multitudo ad illum confluxerit, quâ instructus confestim Londinum movit. Eduardus verò hoste non expectato curâque exercitus parandi in aliud tempus remissa, cum Ricardo fratre Glocestriæ Duce, ad Lynum Maritimum oppidum conscensâ nave, in Flandriam ad Carolum Burgundionem non sine magno discrimine enavigavit. Elisabetha Regina partui vicina, ad Westmonasterium confugiens asylo sese inclusit, ubi filium Eduardum peperit. Warvicensis interea nullo obstante Londinum pervenit, & ad turrim contendens, Henricum Regem ex carcere liberavit, regioque ornatu amictum & per mediam urbem ad Pauli templum ductum, post actas Deo gratias in throno locat. Indicto deinde Parliamento acta

omnia Eduardi reſcinduntur, Henrici confirmantur, ipſe Eduardus cum ſequacibus ut rei publicæ hoſtis proſcribitur.

Eduardus interea ad rerum commutationem, nihil conſternatus, duodecim millium (ope Caroli) conſcripto exercitu, navibuſque octodecim in Angliam ad Eboracenſem agrum appulit. Milite in terram expoſito, nihil propter eorum paucitatem auſus, ſolicitatum incolarum animos miſit, ſed fruſtrà cum illi ſive metu ſive reverentiâ Warvicenſis, à fide diſcedere nolebant. Divulgato verò ſe non Regni ſed patrimonii Eboracenſis Ducatus recuperandi cauſâ adveniſſe, pluribus affluentibus, fortior paulo evaſit, atque adeo Eboracum proficiſcitur. Oppidani verò literis Warvicenſis admoniti, introitu prohibent Eduardum, ipſe verò blande compellatis civibus, & rogatis ut Domino ſuo de Regno haudquaquam ſed de recuperando avito principatu ſolicito, opem ferrent, datoque inſuper ſolenni ritu jure jurando, ſe contra Henricum nihil quicquam moliturum, intra oppidi mœnia tandem recipitur. Brevi autem poſt intentio illius animi clarius eluxit. Uſque adeo Religio magnatibus obtentui eſt, ut illâ ſuſque deque factâ, vel ſumma cum perjuria quæ concupiſcunt conſequantur. Oppidum ſtatim præſidio ſibi aſſeruit, & deinde audito ſegnius hoſtem agere Nothyngamum verſus movit, ad quem plurimi nobiles

poſtquam

postquam magno fultum exercitu conspexerant defecere. Dux ipse Clarentiæ Henrici partibus diffidens, instituto cum fratre ad speciem colloquio, partibus ejus haud gravatè accessit.

Warvicensis quoque ad defectionem solicitatus in fide tamen Henrici permansit. Londinum interea summâ armorum fiducia iter Eduardus instituit, quam urbem auditâ Clarentiæ Ducis defectione, ingens trepidatio invasit, & extemplo plebes, obviam Eduardo facta, Regem illum maximo applausu salutavit. Somersetensis & reliqui Henrici sequaces, fugâ sibi consulunt, relicto in Episcopi palatio Henrico, qui statim ab Eduardo captus & pristinæ custodiæ redditus est, data deinde omnibus commissorum impunitate, omnium sibi animos conciliavit.

Warvicensis interea conscriptum validum exercitum, Londinum duxit, Henricum vero Regem in carcerem conjectum esse comperiens, ad Albani fanum constitit. Eduardus statim maxima illi militum vi occurrit, quæ indies affluentibus novis copiis in immensum crescebat. Quando in conspectu jam uterque esset exercitus, die albescente ad pugnam signa data sunt. Acriter manus ab utraque parte conseruntur, ab Eduardo majori vi, Wervicensi majori virtute pugnatur, virtus tamen vi vincitur, Wervicensis ipse cum de victoria desperabat mediis sese hostibus

inferens, cum fratre Marchione fortiter occubuit, ad decem millia cæduntur. Somerſetenſis cum Oxonienſi in Walliam confugit.

Exoniæ ſive Exceſtriæ Comes Weſtmonaſterium ad aſylum ſe contulit. Eduardus triumphanti ſimilis cùm Henrico Rege (illum enim ſecum adduxerat) urbem Londinum intravit.

Reginam Margaritam interea in Angliam magno cum exercitu appulſam & Somerſetenſis, Devoniæ, Pembrucenſis aliorumque accurſu ad bellum confirmatam, magnamque vim paratam, fama erat. Quapropter Eduardus ubicunque hoſti occurrere certus, Oxoniam cum exercitu contendit. Margaritam tandem dum in Walliam movere conatur, Eduardus ad Gloceſtriam aſſequitur, & ipſa Pembrucenſis adventu non expectato, quod magis è re fuiſſet, cum Somerſetenſi communicato conſilio, præliandi copiam dedit. Committitur ad Teuchisberiam prælium & ancipiti fortunâ diu pugnatur, Eduardus tandem prævaluit, & Margariti milites ad unum ferè cæſi. Devoniæ Comes & Somerſetenſis frater aliique nobiles occubuere. Margarita, Eduardus Princeps, Somerſetenſis Dux, aliique ultra viginti equites capti, qui omnes biduo poſt exceptis Reginâ & Eduardo, capite multantur. Eduardus vero cum ad Regis colloquium duceretur & audacius quam pro

re

re nata responderet, ab adstantibus Georgio Clarentiæ, Ricardo Glocestriæ Ducibus, Thoma Grajo Dorsetensi Marchione & Guljelmo Hastyngio crudeliter interficitur. Regina autem prætio postea liberata in Galliam profecta est, vitamque semper tristem & languidam egit. Eduardus victoriâ tandem potitus Londinum ovans revertitur.

Faucobrigius interea Cantii Comitis filius, qui mari præfectus à Warvicensi fuerat, postquam diù piraticam exercuisset, exscensione tandem ad Cantianum agrum facta, Cantianorum haud parvam manum conflavit, & Londinum ingressus est, urbis autem prætor, conductis copiis derepente illum aggressus, exutum omni præda profligavit multosque internecione delevit. Fauconbrigius postea captus & securi percussus est. Pembrucensis cum omnia perdita videret, dolo qui vitæ ipsius strueretur elapsus, & insidiatoris Waghami morte pacatus, cum Henrico ex fratre Richemondiæ Comite nepote, paucisque familiaribus in Galliam evasit. Eduardus quò omnia in posterum pacatiora essent, Cantianorum audaciã qui proximè in eum arma moverant quà supplicio quà minis domuit. Henricus quoque Rex, ne novis motibus causam daret, à Ricardo Glocestriæ Duce in turri interficitur, corpus ejus nullo cum honore in sepulchrum defertur, parricidæ verò cædisque auctores homicidiæ

micidiæ poſtea (ut dicetur) pœnam luere.

Regnaverat annis triginta octo & ſex menſibus, animo bonus, formâ conſpicuus, ſanctoque quam Regi ſimilior.

Eduardus ne rebellionis manerent veſtigia, Georgium Eboracenſem Archiepiſcopum, in vincula conjecit, qui poſtea dimiſſus, ex animi ægritudine extinctus eſt. Oxonienſem quoque Comitem in carcerem conjectum ad duodecim annos ſervavit, alii aliis locis aut capti aut morte affecti ſunt, deinde ne rebellibus ad vicinos eſſet confugium, cum Iacobo Scotorum Rege in viginti annos inducias fecit. Pembruchiæ interea & Richemondiæ Comites in Galliam ad Britanniæ Ducem profecti, & ibi perhumaniter habiti ſunt, at poſtea cùm Eduardus eorum poteſtatem ſibi fieri poſtulaverat, nec impetraverat, attentius à Britanno ſervabantur. Conſcriptis deinde comitiis Eduardi decreta (abolitis Henrici mandatis) rata habentur, quique ejus cauſâ in exilium ut patriæ hoſtes proſcripti erant revocantur, ærarioque Regis mirè exhauſto ſubſidia impetrantur. Flagrante interea inter Ludovicum Galliarum Regem, & Carolum Burgundionum Ducem bello (cui plurimi Galli Principes, qui graves Ludovici mores abhorrebant acceſſere) ipſe quoque Eduardus, ne non amico, tot beneficiorum nomine devinctus, auxilio veniret, paratis copiis

claſſeque

classeque Caletum appulit. Carolus statim adfuit, victoriamque illi de perduellibus gratulatus, ad novum flagrans bellum non invitum hortatur, Ludovicus verò plurimum sibi à duobus potentissimis hostibus metuens, legatos de pace ad Eduardum misit. Data est colloquii inter duos Reges copia, qui ad Pinquiniacum convenere, ubi in multos annos induciæ pactæ sunt, solutis Eduardo in sumptuum solatium septuaginta aureorum millibus & quotannis promissis eorundem quinquaginta millibus, Eduardi quoque filia Elisabetha Carolo Ludovici filio desponsatâ. Atque ita pace sancita frendentibus nequicquam Carolo, & Lucemburgensi belli sociis Eduardus Caletum primitus, & deinde in Angliam rediit. Lucemburgensis vero postea bello captus Lutetiæ securi percutitur. Eduardus quanvis domi forisque pacem stabiliverat, nihil tamen sibi quietum futurum ratus dum Henricus Richemundiæ Comes, cujus ad Regnum jus summopere metuebat, in vivis esset. Missis ergo ad Britanniæ Ducem nunciis quà donis quà promissis Comitem impetravit. Dux vero facti pœnitentiâ ductus jam iter ingredientem & malæ morti candidatum juvenem revocavit, & in tutum reduxit, Eduardi legatis qui spe exciderant, domum remissis. Eduardus interea dum liberalem se omnibus, fratri soli Clarentiæ Duci immanissimum se præbet, quem in

dolio vini Cretici suffocari permisit. Cum Scotis jam quoque, auctore Albaniæ Duce Iacobi Regis fratre, Bellum recruduit. Missus in Scotiam Glocestriæ Dux Ricardus, cum aliis, Scotus vero cum suorum viribus minus constaret, inducias impetravit. Albaniæ autem Dux se belli auctorem, & propterea fratri invisum non ignorans, in Galliam confugit, atque ibi equestri certamine interfectus est. Restabat jam ut in Gallum pactis suis non stantem bellum Eduardus moveret, alio autem hoste minus præviso superatur, cum enim in morbum medicis incognitum incideret, intra paucos dies è vita excessit, ætatis anno quinquagesimo, Regni vigesimo tertio; salutis humanæ. M CCCC LXXXIII.

EDUARDUS QUINTUS,



RICARDUS TERTIUS.

ANGLIÆ & FRANCIÆ REGES.

Anno 1483.

DEfuncto Eduardo quarto, proximum occupabat locum filius ejus senior Eduardus, ille vero in principatu suo sub tutoribus Antonio Riverio avunculo, Thoma Wagha cubiculi præposito, & Ricardo Grajo equitibus, degebat. Qui Reginæ epistolis vocati cum Principe Londinum properabant. Ricardus quoque Glocestriæ

Dux

Dux penes quem defuncto fratre summa rerum, in Eboracensi agro erat, audita vero Regis morte, & ipse Londinum contendebat cum modico exercitu, ille enim ex jussu fratris Eduardi Principis juventutem gubernaret, verum ènimverò, ab eo tempore quo frater obierat, Regnum sibi occupare animum induxerat. Ille dum Londinum proficiscitur Eduardum puerum in via assecutus est, quem mox in potestatem suam recepit, tutores ejus Riverium, Wagham, & Grajum ad Pontifractensem arcem custodiendos misit. Qua re Londini divulgata, Regina, quam perversus Ricardi animus non latebat, cum filiorum altero Ricardo & filiabus in *asylum* ad Westmonasterium se contulit, ut à Ricardi violentia tutior esset.

Ricardus interea Londinum cum Eduardo venit, & ad ædes Episcopi Londinensis divertit. Ille verò recepto in potestatem Eduardo non contentus, ut rebus suis tutius studeret, alterum filiorum qui cum matre ad Sanctuarium confugerat, specie tristem Regis solandi animum, ad se accersere nititur, & in illam sententiam pertractis proceribus, mittitur eò cum aliis Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, qui minis commistis blanditiis, innocentem puerum è matris complexu avulsit.

Ricardus jam voti compos fratres Regios

gios ad turrim magnifico quidem ſed funeſto comitatu miſit. Ipſe interea quà beneficiis ; quà ſimulata Relligione, & affectata animi inclinatione, procerum & vulgi animos ſibi devincire, quam alto corde premebat Regnandi ardorem diſſimulare, ut nemo ſciret, quorſum ejus ſtudia collimarent. Haſtyngius vero ſinceri vir animi indies ut Regi jure debitus deferretur honos inſtabat. Quem ſive ut moleſtum, ſive perſpicacem nimis, ante omnes è medio tollere Ricardus conabatur, & ita dolo compoſito ementiti criminis quaſi reum, à promptis militibus comprehendi, nec interrogatum, nec facinoris devictum extemplo obtruncari juſſit. Vitio vertebatur illuſtri viro quod ipſi cum Johanna quadam Regis Eduardi quarti concubina ſtupri conſuetudo interceſſerat ; quam ex compoſito incuſabat Ricardus ; quaſi unà cum Regina matre membra ejus magicis artibus ex torruerat. Eboracenſem quoq;& Elyenſem Antiſtites, cum Stanlejo, in carcerem conjecit. Hic vero brevi incolumis dimittitur. Alios aliò relegavit ne ſibi Regnum moſienti impedimento eſſent. Per literas deinde Pontifractenſis arcis cuſtodem admonuit, ut Riverium, Grajum, Waghamque itidem ſecuri percuteret, qui dicto nimis obediens fuit. Stipatorum deinde manu (cum tyrannis omnia extimeſcere mos eſt) ſe ipſum munivit, deinde ut credulo vulgo emen-

ementitis rationibus imponeret, cum Rudolpho Shao maximi nominis Theologo, qui apud populum multa pollebat, verba commiſcuit, ſe veram Ricardi patris prolem, Eduardum vero fratrem nothum ſummâ cum contentione jactans, Rogansque inſuper, ut jus ſuum de ſuggeſtu plebi inculcaret, ſeque virum eſſe, Eduardum autem puerum, Regimini ineptum, ejusque impotentiâ vitium rempublicam facturam, & ſic deinceps. Rudolphus ſive metu ſive amentiâ facile obtemperat, & ex compoſito textu rei accommodato, populum libere alloqui cœpit, magna mala & incommoda illis interminatus, qui legitimæ notham ſtirpem præferentes, juſtæ ſucceſſioni viam clauderent. Mirum in modum populus tum præconis auctoritate deceptus tum minis exterritus, in varia fluctuabat, jam quiſque Regni mutationem exoptare, Ricardum virum inepto puero præferre, omnia peſſima præſagire, innocentem matrem adulterii inſimulare, condemnare. Rudolphus vero poſtea ab amicis rei admonitus, & ad ſaniorem mentem rediens, tantum ſibi pudorem contraxit, ut in poſterum publico abſtinens, mœrore animi poſtea extinctus ſit. Buckyngamiæ quoque Dux paulò poſt oratione ad Senatum Londinenſem habita, hortari eum, atque officii admonere non deſtitit, multa inſuper de Ricardi bonitate, & morum lenitate jactans cui pars aſſentiit, pars reſiſtere non

auſa

ausa præeuntes secuta, pars tempori & rerum rationi parere necessè duxit, omnes in Ricardi verba juraverunt. Anno M CCCC LXXXIII. Ad Ricardum protinus contendunt & ipsi quid actum sit exponunt, ille vero tergiversari, ad fidem in Eduardum juvenem Regem hortari, horrendum illud facinus detestari tandem verò veluti invitus regni insignia accepit, cumque Anna uxore Regno inauguratur.

Ille quam dolo acceperat potentiam vi asserere connititur, lectâ enim & valida militum manu comitatus ab omni injuria sibi tutus videbatur. Londinensium tamen multitudinem veritus, cum nullibi securitatem tyranni constituunt, Eboracum proficisci statuit, rebus Londini compositis. In via autem (cum nullam sibi viventibus nepotibus quietem sperabat) turris præfecto Roberto Branchynburio literis jussit ut quo potissimum posset modo Eduardum juvenem Regem, ejusque fratrem in ipsa turri extingueret, ipso vero tergiversante & moras nectente, Iacobo Tyrello, id provinciæ datum est, qui summo cum dolore Londinum profectus, injectis pulvinaribus, innocentes suffocavit. Divulgata (non invito Ricardo) puerorum nece, mirum quanta consternatio omnium animos invaserit, omnes puerorum casus miserari, ingemiscere, & quid de eo exspectandum sit, qui proprio sanguine non

pepercerit, dictitare, ut de matre & filiabus taceam. Certè Deus immortalis cum graviora crimina impune non prętermittit, violatam à patre ad Eboracum Religionem, & nefariè ab eodem occisum Clarentiæ Ducem, in filiis quanvis innocentibus vindicavit.

Buckingamiæ verò Dux qui tantum pro Ricardo desudaverat, jam immanissima illius facinora detestatus ab eo defecit, initoque cum Elyensi Episcopo qui ipsius curæ commendatus erat, consilio, de restaurando Henrico Richemondiæ Comite (ad quem proximè Regnum pertinebat, utpote qui à Iohanne Gandavensi Lancastriæ Duce, proavo sanguinem ducebat), & extirpando Ricardo generis humani monstro, actum est, hi igitur re cum aliis communicatâ, extemplo Hugonem Conevejum, Thomamque Ranmejum ad Comitem in Britanniam mittunt, qui de conjuratione illum, ipse vero Ducem Britanniæ certiorem fecerunt.

Dux, quanvis multum ut Henricum in carcere servaret, à Ricardo per legatos rogatus, auxilium spopondit.

Ricardus interea cui Buckyngamiæ Ducis consilia innotuerant, illum iteratis nunciis ad se vocavit, cumque adesse detrectaret ad arma utrinque ventum. Dux conscriptis subito Wallorum aliorumque aliquot copiis ad Glocestriam trajecto amne, Regi Ricardo magna militum manu instructo

inſtructo obviam ire conatur. Milites vero quos minis potius quam prætio conduxerat, parum fidi, ſponte & hoſte non viſo dilabuntur. Duce ipſo pene ſolo cum pediſſequà relicto, qui fugâ ſibi conſulere neceſſe habuit, & ad Humphredum Banniſterum ſe contulit, ab illo vero omnium beneficiorum immemore, poſtea Ricardo traditus, ſecuri percutitur. Ad hujus rei famam omnes conjurati alii alio dilapſi, pars ad aſyla, pars in Britanniam ad Comitem ſe contulere.

Audierat interea Ricardus, Ducem Britanniæ non modo Comiti non nocere, verum etiam auxilium deſtinaſſe, quapropter claſſem extemplo conſcripſit, ut quoquo modo Comitem ſi forte veniret, Angliæ littoribus prohiberet.

Ille verò interea cum quadraginta navibus & quinque Britannorum millibus, in Angliam vela fecit. Exorta vero tempeſtate claſſis diſiecta, & ipſe penè ſolus ad Cornuvalliam appulſus eſt, terrâ vero conſcenſâ, cùm magnam militum manum conſpiceret, ad naves iterum confugiens in altum deintegro evectus eſt. Atque æger animi in Galliam & deinde (audita jam Buckingamiæ Ducis morte) conſilii inops in Britanniam rediit. Nobilium vero conjuratorum adventu in novam ſpem erectus, coram altare Eliſabetham Eduardi filiam uxorem ducere, (ſi res ex animo fluerent) ſpopondit, atque adeo iterum Sacramentum

mentum fidelitatis ab omnibus datum eſt.

Ricardus interea in Comitis ſequaces quoſcumque aſſequi poterat, graviter animadvertit. Thomas Dorſetenſis Comes qui ad illum confugerat, terra marique proſcribitur.

Fœdus quoque cum Scotiæ Rege icit, dataque Anna ſorore Scoti filio, confirmavit. Ricardus interea novas Henrico Comiti per Ducis Theſaurarium auro corruptum, inſidias ſtruxit, ille vero (re per Mortonium Epiſcopum detectâ, evaſit. At quando dolus Duci ipſi innotuerat, ille in Theſaurarium ſuum excandeſcens, ſceleſtum hominem tam ob illud quam alia facinora, in patibulum agi juſſit. Comes jam in Galliam venerat, ubi Oxonienſis Comes, vinculis ſuis elapſus Henrico ſe adjunxit, fidamque in omnibus operam ſpopondit. Cui quoque nobiles aliquot Lutetiæ literis operam dantes acceſſere, ſponte opem pollicentes, quos inter Ricardus Foxius doctrinâ per illud temporis celeberrimus, quem ſecreto ſuo conſilio Comes applicuit, & Regnum poſtea adeptus, Vinoceſtriæ Epiſcopum creavit.

Ricardus vero ut Henrici Comitis cum Eliſabetha matrimonium impediret, quà blanditiis quà metu quà promiſſis, Reginam Eliſabetham eò perduxit, ut ſibi filias traderet, quin etiam ad filium ſuum Dorſetenſem Marchionem qui Henrici

Comitis lateri adhærebat, literas daret, quibus confestim domum redire (relicta Comitis parte) jubebatur, pacata omnia esse, suamque familiam in gratiam Regis receptam. Ricardus interea filias Reginæ nactus, ut in totum Henrici intentiones præverteret, Elizabetham fratris filiam matrimonio sibi jungere statuit. Prior verò ipsius uxor etiamnum in vivis erat. Hæc autem postea cum aliæ non valerent artes veneno clam è medio sublata. Interea ad Elisabethæ animum sibi propitiandum omnem lapidem movebat, si fortè non obtineret, vim precibus adjungere certus. Curis autem & metu forinsecus urgentibus libidini adhuc non dabatur locus. Stanleo interea milites conscribendi datur provincia, proficisci verò prius non potuit, quam fidelitatis vadem & obsidem filium seniorem Dominum Stranum Regi dederat. Fama interea ex composito sparsâ Henricum frustrà Gallorum auxilia implorasse, nullumque itaque ab eo metum esse, Ricardus segnius egit classemque quam Angliæ oras observatum miserat, imprudenter exauctoravit.

Henricus interim rerum admonitus, cum duobus tantum militum stipendiariorum millibus in Angliam appulit, Riceus verò Thomas, & Iohannes Savagus duo in Wallia potentissimi viri collectis aliquot copiis, Henrici partibus protinus sese adjunxere. Pembrucensis quoque cum aliis

non-

nonnullis acceſſit, Stanleus verò quanvis optaret, metu ne filius à Rege male multaretur, in aliud temporis intentionem remiſit.

Ricardus interea mirâ deſidia & incuriâ torpeſcebat, de ſuorum verò jam defectione certior factus, corraſis quas poterat copiis, Henrico obviam profectus eſt.

Ad Boſworthum caſtra metatus, cum videret hoſtes prælium meditari, ipſe quoque ſeſe copiaſque accinxit. Manus tandem conſerunt, acremque utrinque pugnam adoriuntur. Stanleus verò qui ſerius advenerat, jam ardente certamine Henrico ſeſe cum copiis ſuis adjunxit. Quibus haud parum confirmatus, cum aliàs Ricardo longe inferior erat, in novam ſpem erigitur. Rex tandam ipſe pugnam aggreſſus, poſtquam ſtupenda virtutis miracula ediſſet, Henrìci ſigniferum mactaſſet, Henrico ipſi periculum creaſſet, multitudine hoſtium ſupprimitur, & fortiter dimicans cæditur. Mortem Ricardi Henrici victoria ſecuta eſt, Northumbriæ enim Comes qui ultimum Ricardi agmen ducebat, cùm invitus venerat, pugnam detrectabat. Haud ultra mille Regii occiſi ſunt, ab Henrici parte vix centum. Nobilibus qui manus dabant gratia conceſſa eſt. Et Henricus protinus quâ Ricardi cadaver nudaverant, coronâ inſignitus eſt, Rexque ab omnibus una voce ſalutatus. Ricardi cadaver inter mortuos inventum,

tum, nullo honore Lyceſtriæ ſepultum eſt.

HENRICUS SEPTIMUS,

ANGLIÆ & FRANCIÆ REX.

Anno 1486.

HEnricus virtute juxta & jure Regnum adeptus, Weſtmonaſterii Anno M CCCC LXXXVI. pridie calendarum Novembris coronatus eſt.

Conſcriptis deinde comitiis crimine cujus à Ricardo poſtulatus erat exolvitur, merentes quoque quoſdam præmiis & honoribus auxit.

Eliſabetham deinde Eduardi quarti filiam uxorem duxit, quo matrimonio vetus illud Rubræ & Albæ Roſæ diſſidium coaluit. In Principio valida ſeſe ſtipatorum manu ſive auctoritatis ſive Majeſtatis cauſâ munivit, qui mos ad noſtra uſque tempora invaluit. Sudor ſub hoc temporis Anglicus, morbus antea incognitus, plurimos mortalium è medio ſuſtulit, malum autem quò acrius eò brevius fuit. Novæ deinde turbæ in ſeptemtrionali Angliæ regione exortæ Lovelli fuga, & Staffordii, auctorum, ſupplicio facile ſupprimuntur.

Novus vero ex mera opinione & perſuaſione tumultus novis curis cauſam præbuit, Simondus enim ſacrificus diſcipulum quendam ſuum forma & ſpeciei ſimilitudine audacior, Eduardum Clarentiæ Du-

cis filium (qui in carcerem paulo ante ab Henrico conjectus erat) ementitur, cumque eo in Hiberniam trajecit, tantumque ibi apud proceres profecit, ut Dubliniæ juvenis Rex salutaretur. Deinde impetrato à Margarita Burgundionis uxore auxilio in Angliam transvolat, cui mox alii qui Plantagenetarum partibus faverant proceres, quanvis doli conscii, spe tamen, rei gerendæ, accessere. Henricus verò maturè obviam profectus, post ardentissimum prælium Lincolniæ Comitem aliosque auctores & sequaces interemit. Lamberto vero suppositio Comiti propter juventutem & innocentiam parcitum, & inter Regis famulos locus concessus. Simondus verò vesti salutem debuit.

Missis deinde in Scotiam legatis de pace actum est, cum verò invidiâ subditorum ea impetrari non poterat, in septennium induciæ pactæ sunt. Exorto vero inter Carolum Galliarum Regem & Franciscum Britanniæ Ducem dissidio, Henricus ne alterutram partem, cum utrique devinctus esset, offenderet, diremtorem & sequestrum se præbuit, cùm tamen missis nunciis nihil proficeret, ad arma utrinque ventum est.

Udevillæ Dominus Eduardus, Reginæ avunculus clam, inscio Rege, cum quadringentis lectis militibus Britanno opem tulit, partâ verò postea Gallo victoriâ omnes cum Duce interierunt. Morte Du-

cis liti finis est impositus. In Eboracensi agro interea propter imperata tributa turbæ auctore Iohanne de Cubiculo exortæ sunt. Henricus Northumbriæ Comes ejus regionis præses à factiosa manu nefariè occiditur, turmatim deinde convenientes duce Iohanne Egromontio equite, vim parabant, Rex verò maturè advolans tumultuariam manum facilè dissipavit, atque in auctores graviter animadvertit. Egromontius verò ad Margaritam, commune rebellium refugium, in Burgundiam se contulit. De tributis tamen nihil remissum est.

Gravis sub illud temporis in Scotia tumultus exarsit. Subditi in Regem Iacobum surgentes, Iacobum itidem ejus filium vi partibus suis applicuerant. Frustra ab Henrico Anglorum & Carolo Galliæ Regibus, ut & Pontifice de pace actum, cumque acrius subditi responsum darent ad arma ventum ad Strevelinum, ubi (parta subditis victoriâ) Rex ipse, invito tamen filio, in molatrina fœde occisus est. Lite exinde inter Fredericum Augustum & aliquot Flandriæ urbes exorta, Gallus Imperatori auxilio venit; Henricus vero Gallorum ad Caletum viciniam non passus, Morleum Dominum cum mille bellatoribus eò misit, qui duobus suorum millibus, octo hostiū fudit, ipse verò interemptus est. Galli autem ut hanc cladem ulciscerentur Neoportum pene occupaverant, Anglorum verò adventu territi, victoriâ exciderunt.

runt. Maximilianus Imperator quando cum Anna Francisci Britanniæ Ducis filia per legatos sibi desponsata, contrahere matrimonium niteretur, à Gallo cui Margaritam filiam desponderat, impeditur, ille enim repudiatâ Margaritâ, Britanniæ ducatui inhians, vi Annam in potestatem suam redegit, & solenni ritu uxorem duxit. Qua fraude mirum in modum Henricus offensus, impetrato à Parliamento suo subsidio, de bello Gallorum Regi inferendo consilium iniit. Cùm modico tandem exercitu Caletum appulit, Bononiamque obsidione cinxit, imparatum verò Maximilianum, cujus ergo bellum susceperat, offendens, haud ægrè (maxima à Gallo impetrata auri summâ annuoque stipendio) in pacem consentiit, atque adeò in Angliam rediit. Margarita Burgundionis uxor, Anglo nunquam non dolum & insidias meditata, juvenem quendam cui Perychino sive Petro Varbecho nomen erat, in aula sua per aliquot tempus educatum, pro Ricardo Eduardi quarti filio, quem suffocatum diximus, Anglis aliisque obtrusit. Plurimi Anglorum proceres, sive specie decepti, sive aliàs rerum novarum cupidi, ad illum suppofititium Ricardum confluunt, quos inter Guljelmus Stanleus, qui pecuniâ Petrum juverat, captus, convictus & securi percussus est, quanvis præcipua causâ fuerat, quâ Henricus ad Regiam dignitatem pervenerit.

Petrus interea collecta militum tumultuaria manu in Cantium appulit. Ubi suorū ad centum & sexaginta, quos inter quinque centuriones erant, qui citius terram conscenderant capti, & Londini atque alibi suspendio necati sunt. Petrus vero cum ibi parum profecerat, in Hiberniam vela fecit, ubi magnifice ab incolis apud quos Plantagenetarum nomen optimè audiebat, exceptus est. Cùm tamen parum illic auxilii ab inermi & imbelli plebe speraret, in Scotiam properè profectus est. Scotus honorifice hominem habuit, specieque aut aulicis ejus moribus, quibus à Margarita plus satis imbutus erat, deceptus, Huntlei Comitis filiam Catharinam ipsi despondit, quem deinde cum magno exercitu ad Angliæ fines populandos misit, spe subditorum quosdam aut metu aut studio ad se pertrahendi, sed frustra.

Henricus ob incursiones Scotorum mirè offensus, conscriptum mox exercitum in Scotos Duce Dabenejo movere jussit. Ille tamen exorto in Cornubia sive Cornuvallia ob tributa tumultu eò ad domandos rebelles, revocatur, illi verò duce Audelejo Regulo Londinum properaverant, verùm postquam eò venerant, à Regiis circumventi & fugati sunt, relictis occisorum duobus admodum millibus, multisque captis, quibus maximam partem parcitum est, exceptis belli auctoribus, Audelejus enim ad supplicium ignominiosè

miniosè raptus & securi percussus est. Aliique instigatores ut Thomas Flammokus, & Michael Iosephi filius, faber ferrarius, suspendio vitam finierunt.

Scotus interea ex hisce tumultibus rei gerendæ occasionem aucupans, Angliæ fines de novo depascitur, & deinde Durhamense castellum obsidet, Surræ vero Comes collecto viginti millium militum exercitu, magnaque classe, non modo obsidionem solvit, verum etiam in Scotiam hostes insecutus, diversa castella & arces diruit, atque adeo cum ad manus res nequaquam veniret, Barvicum rediit.

Interventu verò Hispaniæ Regis induciæ ad aliquot annos inter Anglum & Scotum pactæ sunt, ea vero conditione ut Petrus Varbechus ex Scotia facesseret. Ille vero postquam jam inde abierat, audiens novos in Cornubia tumultus oriri, cum paucis militibus eò ex Hibernia, quò se cum familia contulerat, profectus est, & quà blanditiis quà specie incolarum nonnullos sibi ascivit, atque collecta trium admodum millium militum manu, Exoniam oppugnavit, adventu verò Regis territus relicto exercitu, ad altare confugit. Rex interea de fuga ejus jam certior, sedulò eum vestigare jussit. Catharina ejus uxor venustissimæ formæ & illustrissimæ familiæ fœmina capta Regique tradita est, qui propter speciem genusque, annuos illi reditus assignavit. In Rebelles deinde ab

Henrico animadverſum eſt; parvâ tamen illis impoſitâ pœnitentiâ, libertati reſtituuntur. Petrus vero cum diutius ad aſylum hæſitaverat, nec ſaluti locum conſpiceret. ultrò tandem ſe dedidit, turrique Londinenſi incluſus eſt.

Sebaſtianus interea Gabatus Genovenſis civis, Bruſtæ verò natus, impetrata ab Henrico unâ aut altera nave, novas in occidente regiones adivit, & poſt biennium in Angliam rediit. Petrus verò quem in carcerem conjectum diximus, brevi poſt elapſus eſt, & Richemundiam ſe contulit, iterum vero comprehenſus &, publicâ ignominia affectus, deintegro in turrim conjicitur, cum vero de novo cum Warvicenſi Comite cujus nomen Lambertus aſſumpſerat, aliiſque turris præfecti familiaribus conjurationem iniret, ad ſupplicium raptus, & cum duobus præfecti famulis ſuſpendio enectus eſt. Warvicenſis quoque ne novis turbis cauſam daret, paulò poſt ſecuri percutitur. Hic Clarentiæ Ducis ſenior filius, atque extrema maſcula Plantagenetarum progenies, à prima uſque pueritia carceri mancipatus, fuerat, extra hominum cognitionem rerumque memoriam. Hinc nova & ejuſdem generis ſecuta eſt ſeditio, Patricius enim Auguſtiniani ordinis monachus novum Warvicenſem Comitem in diſcipulo ementitus, populum de ſuggeſtu ad rebellionem ſolicitavit, ipſe verò cum diſcipulo captus eſt. Iuvenis

in

n crucem actus, Patricius in sempiternum carcerem conjectus est. Talis tunc temporis Sacri ordinis fuit reverentia, ut vel proditionis & læsæ majestatis rei, morte nunquam afficerentur. Inter Hispaniæ Regis filiam Catharinam & Arthurum Walliæ Principem, natamque Henrici & Iacobum Scotiæ Regem, matrimonia sub hoc temporis contrahuntur. Ex hoc ultimo matrimonio Maria Stuarta, ex qua Iacobus Rex, deinde Carolus, Regnorum denique unio tandem provenit. Arthurus vero quinto post nuptias mense in Cambria obiit. At Henricus ne dote, & amicitiâ Hispaniæ Regis fraudaretur, Catharinam (indulgente Pontifice) Henrico secundo filio invito despondit.

Edmundus Polus Suffolciensis Comes Elisabethæ Eduardi quarti sororis filius, sub illud temporis Regi ob privatam injuriam infensus, conjurationem contra eum in Flandria iniit. Re vero detecta, & reis captis, ipse solus ad Philippum Austriæ Archiducem confugit. Philippus vero morte Ferdinandi Hispanniæ Regis (nomine uxoris Ioannę ejusdem filiæ, sororis Catharinæ quæ (ut dictum) Walliæ Principi nupserat,) Regnum adeptus, eò iter forte instituit, & cum adversą tempestate in Angliam delatus esset, Rex Henricus omni honore illi obviam factus, Comitem Suffolciensem ab illo impetravit, ea conditione ne vitæ ipsius vis fieret. Henricus

eum in carcerem conjecit vitæque ejus pepercit, postea vero Regnante Henrico octavo capite plexus est.

Henricus jam supremo honoris culmine constitutus, subditorum fidem & vicinorum reverentiam sibi conciliaverat. Felix sanè ni sub Regni vitæque finem, instigante avaritia, subditorum bonis & facultatibus nimium inhiasset.

Arthritide diu laboraverat, cui accedente asthmate, quinquagesimo secundo vitæ, Regni vero vigesimo tertio, salutis humanæ millesimo quingentesimo octavo vivere desiit.

HENRICUS OCTAVUS,

ANGLIÆ FRANCIÆ & HIBERNIÆ REX.

Anno 1508.

HEnricus octavus Regnum adeptus, mira obedentiâ prudentiâ & justitiâ, in ipso principio se gessit. Ducta quam desponderat pater, Catharina fratris uxore, sapientissimis electis consiliariis, & punitis exactionis paternæ diris ministris. Primum deinde Regni annum ludicris certaminibus, aliisque recreationibus duxit. Rogante verò Hispaniæ Rege, Reginæ patre, expeditio in Hispaniam contra Mauros suscepta est, verum ante Anglorum adventum pace cum Mauris facta,

irrita fuit, nullaque re gestâ quanvis honoribus aucti duces, in patriam rediere.

Eduardus vero Poiningius, eques cum mille & quingentis jaculatoribus Carolo Hispaniæ Principi contra Geldriæ Ducem auxilio missus, re prospere gesta, honoribus & præmiis onustus domum cum suis rediit.

Scotus interea quidam pirata Bartonus Angliæ oras mira audaciâ & fortitudine infestans, misso maris præfecto post ancipitem strenuamque pugnam, superatur & interficitur, sociis verò (miro lenitatis exemplo) parcitum est.

Flagrabat interim inter Galliarum Regem, Papamque bellum. Henricus ut desisteret Gallum admonuit, cumque nihil proficeret, bellum eidem indixit, inito cum Maximiliano Augusto, & Ferdinando Hispaniæ Rege fœdere. Rogaverat Hispanus Henricum ut in Cantabriam exercitum mitteret, atque ab illa parte, conjunctis suis cum Anglis copiis Gallis negotium facesseret. Legatur itaque extemplo Thomas Grajus Dorsetensis Marchio cum alia nobilitate & decem militum millibus, ille enim postquam eò venerat, Hispanorum auxilium nequicquam diu præstolatur, Albæ enim Dux interea Navarræ Regnum, propriæ Regis sui utilitati studens, Gallo extorsit, Angli verò in Aquitania ne nihil egisse viderentur, aliquot nullius momenti oppidis expugnatis, in eam rerum & com-

meatus inopiam (cum Hispanus nihil suppeditaret) incidêre, ut fame & inediâ, contractisque ex insueto victu morbis miserè plurimi perierint, cæteri in rebellionem exarsere, Hovardus Dominus, penes quem, ægrotante Marchione rerum summa, exitio vix elapsus est, necesse ergo fuit factiosos conductis navibus domum reducere.

Eduardus Howardus Angliæ maris præfectus, Britanniam interea ferro flammâque mirè depopulatus est, & Britannorum copias quanvis longè superiores, conserta acie superavit, & inde cum navibus prædâ gravibus Vectem Insulam versus enavigavit, dum Henricus Londini hastiludiis aliisque aulicis delectationibus vacabat.

In Gallia ab Anglicis & Gallicis navibus interea in sinu Britannico pari fere utrinque jacturâ dubiâque victoria pugnatum est. Postea verò Angli in ipso portu Gallorum naves parum prudenter adorti, maxima suorum & ipsius Ammirallii jacturâ receptui canere necesse habuere. Quapropter Galli audaciores, jam Angliæ oras infestare, urbesque aliquot incendere, donec Thomæ Howardi in prioris locum suffecti vigilantiâ coërcerentur.

Henricus verò jam seriò Gallis bellum inferre certus, Georgium Talbothum cum præcipua nobilitate, & octo admodum militum millibus Caletum præmisit, Carolum Somersetensem deinde, cum aliis proceribus & sex bellatorum millibus,

jam jam ipse secuturus. Duces postquam convenerant, Tarvennam conjunctis viribus obsident. Henricus brevi cum novem militum millibus magnaque lixarum & cunicalariorum manu adfuit. Maximilianus quoq; Augustus Henrico stipendia faciens, (raro exemplo) advenit, at quanvis Anglo mereret, Regiè tamen & pro dignitate exceptus est. Galli deinde equites, commeatum urbi inferre satagentes, ab Anglis profligati sunt, capto Longovillano Duce aliisque ad ducentos & quadraginta, unde oppidanos ingens trepidatio, rerumque desperatio incessit. Quapropter cum Anglus vehementer insisteret, deditionem fecere. Militibus cum armis discedere permissum est, mœnia solo æquata, urbs primario excepto templo & palatio, igne consumpta est. Turnacum deinde movit, urbemque deditionem detrectantem obsidione cinxit, brevique in potestatem suam redegit, accepto à civibus fidelitatis Sacramento, cùm verò ad prælium frustra Gallos solicitaret, & hyems jam appropinquaret, præfecto Poyningio urbi, ipse in Angliam redijt. Scotus interea, Gallo instigante, Anglorum fines duce Domino Humes cum septem aut octo militum millibus devastavit, sed ab Eduardo Bulmero subito arreptus omnique præda exutus est, ipse cęsis suorum sexcentis, captisque quadringentis, vix evasit. Iacobus tamen cum sexaginta millium militum exercitu Anglorum fines

fines ingressus est, cui Surrę Comes Henrici in illis partibus Legatus cum viginti sex millium militum exercitu ad Bramstonum obviam factus est, consertoque prælio Scotorum nimia confidentiâ, Anglorumque mira virtute, hisce parta est victoria. Iacobus ipse cum duobus Comitibus tribus Episcopis & octo militum millibus occisus est. Haud pauciores capti sunt. Nec quoque Anglis incruenta victoria fuit. Hæc incidit in Annum M D XIII.

Henricus ex Gallia reversus, Surræ Comitem quia rem bene gesserat, Norfolciensem Ducem creavit, aliosque proceres qui quoque egregiè operam navaverant aliis honoribus auxit, Thomam quoque Wolsæum Lincolniæ Episcopatu donavit. Hic vir sæpius nobis nominandus, à vili origine in immensum excrevit, Immo Cardinalis evasit, Anglięque rempublicam ad unguem postea gubernavit.

Iulius secundus Pontifex Maximus summis honoribus sub hoc, missâ galeâ ornatâ, gladio & Christianissimi tytulo Henricum donavit, quæ beneficia hastiludiis aliisque pompis excepit, in quibus illę semper præcipuas partes agebat.

Maria interea Regis soror, Carolo Hispaniæ Principi desponsata est, at quia Hispani ministri moras necterent, petenti Gallo & belli jam saturo despondetur. Priusquam vero res divulgata esset, Prior Ioannes Gallorum Archithalassuş in Anglia unum

pagum,

pagum, Iohannes vero Vallopus in vindictam injuriæ, viginti & unum injecta flamma in Gallia demoliti sunt, icto tandem fœdere armis parcitum est. Gallus haud ultra tres menses, matrimonio supervixit, senexque lascivus mortuus est; & Maria Suffolciensi Duci (annuente Henrico) postea nupsit. Wolsæus sub hoc temporis Cardinalitio galero insignitur, Regnique Cancellarius à Rege creatur; missusque ad Henricum Campegius Cardinalis, opes in sacrum contra Turcas bellum impetratum, frustra fuit: dolus enim ille corradendi pecuniam omnibus pridem innotuerat. Matthias vero Cardinalis ab Imperatore Maximiliano in eundem finem missus, rogatu Wolsæi impetravit.

Sub illud temporis magnum vitæ discrimen Henricus subiit, aucupio enim intentus fracta fuscinâ qua fossas transiliebat aquâ lutoque penè suffocatur, maturè autem pedissiquâ suâ extractus & servatus est. Seditio Londini inter indigenas & alienigenas non sine sanguine gliscens, auctorum exitio aliorumque veniâ sedatur.

Turnacum sub hoc, initis cum Gallo conditionibus, specieque matrimonii inter Delphinum & Mariam Regis Henrici filiam, redditur, & datis obsidibus fœdus inter utrumque confirmatur. Mortuo jam Maximiliano Augusto, ad Carolum Castiliæ Regem, ejus nominis quintum Imperium devolvitur.

Hen-

Henricus interea ab omni bello otiosus, suis vacabat voluptatibus, hastiludiis, saltationibus, aliisque aulicis delectamentis. Deinde vero, ne & pax sua pompâ careret, inter Gallum & Anglum Reges solenne colloquium instituitur. Extructum est ad eum finem in Gallia magnificum ex ligno palatium. Conventum est tandem maxima pompâ, multis hastiludiis & aliis dilitiis indultum, fœdusque inter Imperatorem, Angliæ & Galliæ Reges renovatum.

Wolsæus interea omnia ex animi sententia præstabat, nihil ipsi grave nil intentatum. Buckingamiæ Ducem læsæ Majestatis postulabat, invidiâ aut justitiâ, incertum, qui propterea ad supplicium raptus, & capite multatus est.

Novo interea bello inter Imperatorem Carolum, & Galliæ Regem, causa datur. Quapropter Wolsæus inter partes sequester mittitur, qui parum prudenter & nimiâ auctoritate rem gerens, Galliæ Regis odium incurrit. At Hugo de Moncada Turnacum obsedit, & quanvis liberationem summo studio Gallus affectabat, in suam potestatem redegit.

Henricus interea quia librum contra Lutherum scripserat, fidei defensoris titulo donatus est, qui ad omnem ejus posteritatem devolvitur.

Bello sub illud tempus cum Galliæ & Scotiæ Regibus, occasione Albaniæ Ducis,

& non

& non soluti ut Gallus promiserat, Mariæ Henrici sorori stipendii, causa præbita est, & rupto fœdere ad arma concursum.

Guljelmus Guljelmi filius, eques, Ammirallii Anglici legatus, cum vinginti octo navibus Scotiæ littora populatus, multas in portibus stantes diripuit; & combussit naves, atque adeo domum reversus est.

Carolus Imperator interea Londinum venit, ubi maximâ pompâ, summoque honore exceptus, solennique ritu periscelidis ordine donatus est. Specie deinde Imperatorem in Hispaniam cum debita classe conducendi, impetus in Britanniam à Surræ Comite Ammirallio, factus est, urbsque Morleys expugnata, qui deinde cum magno exercitu in Galliam missus, varia iterum oppida & arces diruit, flammâque vastavit, frustra vero tentata arce Heddingia, & cum graviora tormenta non attulerat, vim inferre non valens, re bene gesta Caletum rediit.

Dorsetensis quoque Marchio in Scotia innumeros pagos, & arces flammâ ferroque solo æquavit, manus vero conserendi nulla data est potestas. Sandius etiam Caleto egressus, & cum hoste velitatus, post variorum castellorum dirutionem, in urbem revertitur.

Cum interim Rex Henricus audierat, Albaniæ Ducem, penes quem jam in Scotia rerum summa, militum delectum in Gallia habere,

habere, Guljelmum Guljelmi filium cum classe misit, ut illum in reditu adoriretur, cum vero frustra mare pervagatus esset, exposito tandem in terram milite, exigua suorum, magnam Gallorum manum fundens, victoriâ & præda potitus est, incensoque Triportensi suburbio, in Angliam rediit.

Henricus jam seriò bellum cum Gallo meditatus, Suffolcium aliosque præcipuos nobiles cum magno exercitu in Galliam misit. Qui primo impetu Bellum castrum domuit, cui Guljelmum Scevintonum, cum præsidio præposuit. Borbonius interea Dux, Galliæ Comestabilis ad Angliæ Regem cum decem suorum millibus defecerat, quibus copiis ille auctus Picardiam ingreditur, variaque oppida & arces expugnat, incrudescente verò hyeme & crescente rerum inopiâ militumque murmure, non expectato quod Henricus miserat subsidio, Caletum (magna tamen clade hostibus illata) redire necesse habuit.

Scoti interea, Anglos bello Gallico plus-satis intentos rati, capita jam exerunt, & Anglorum fines ingressi, diversa oppugnant oppida.

Surræ vero Comes, cum sex militum millibus ipsam Scotiam invadens, varias arces expugnavit, consertoque levi cum Scotis prælio, non sine hostium strage, post dirutum flammâ Iedworthum oppidum & Castellum, victor rediit.

Sic

Sic denique varia fortunâ re in illis partibus gestâ, armistitium tandem inter partes concluditur, ut interim de pace agi posset.

Franciscus primus Galliarum Rex, sub illud temporis ad Papïam à Cæsare Carolo quinto victus & captus est, quod rebus Anglicis haud parvum emolumentum, Gallicis autem grave detrimentum attulit. Pax vero deinde inter Gallum & Cæsarem sancita est quibus deinde Anglus accessit. Brevi autem in novum bellum Gallus & Carolus erumpunt.

Pace foris stabilita, domesticis atque adeo gravioribus dissidiis Anglia detonuit. Henrico enim qui viginti cum uxore Catharina annis, in pace & quiete vixerat, scrupulus tandem injectus est, an præter incestum fratris uxorem (Arthuro enim, ut dictum, prius nupserat) ducere posset. Iudices ad litem dirimendam electi, Wolsæus vero Cardinalis, qui parum prudenter rem pro Henrico administraverat, omni munere exauctoratus, & fortunâ orbatus est, concessis verò ipsi aliis de novo dignitatibus, resarcitur aliquo modo tam gravis jactura. Conscripto deinde Parliamento, variorum criminum postulatur, atque inter alia quod epistolis solitus esset subscribere. *Ego & Rex meus* galerumque Cardinalitium Regiæ monetæ incudi curasset. quorum tandem convictus, omni fortuna nudatur, miro humanarum rerum

incon-

inconstantiæ exemplo, ille enim qui non adeò pridem omnia, vel ipsum Regem ex animi sententia gubernaverat, leges & tribunalia ordinaverat, nobilitatem ubi potuisset averruncaverat, subditos gravi onere suppresserat, clerum juxta & laum suis bonis fraudaverat, jam de summo dignitatis culmine devulsus omnibus exosus & sibi dissimilis, redditur. Ipse autem postea cum ad causam dicendam in aulam vocaretur in itinere ex animi mœrore obiit. Negotium interea divortii ad Pontificem Romanum Clementem rogante Catharina defertur. Ille verò cùm Henricum, paulò ante defensoris fidei elogio à Leone decimo donatum, offendere metueret, nec etiam Cæsarem in Italia dominantem irritare tutum putaret, rem tantum per legatum Campegium in longum trahebat. Qui tandem summa cum Anglorum offensione, post longas tergiversationes & procrastinationes ex Anglia re infecta discessit. Rex interea nova amoris flammâ æstuans, atque adeo moræ insolens, Thomam Crammerum qui pro repudio Catharinæ pronunciaverat Archiepiscopum Cantuariensem, defuncto Warhamo creat. Pontifex interea pro Catharina sententiam tulit. Henricus verò qui jam repudiata (ex diversorum Theologorum & etiam Parisiensium ut creditur prætio corruptorum auctoritate) Catharinâ, clam Annam Bolenam duxerat, ipsi itaque infensus,

ſenſus, omnem Papæ auctoritatem in Anglicas Eccleſias obolitum ivit, indicto majeſtatis crimine,qui contra Regiam dignitatem nimium Pontifici detulerint, & indebita tributa perſolverint, illa quoque in poſterum ipſi denegari juſſit, pœnamque capitis conſtituit ſi quis ſupremam poteſtatem Pontifici adſcriberet. Poſtremò omnes tam Angliæ quam Hiberniæ Eccleſias Sacramento adigit, ut ſe tanquam Eccleſiæ caput à Chriſto proximum agnoſcant. Mutata verò diſciplina, in doctrina tamen nihil mutatum eſt, quam etiam indicta Londini Synodo confirmavit. Lutheri enim & Zuinglii ſequaces diverſos morte multavit, adeò verò in reliqua vita ſe geſſit Henricus, ut ſi æquiores fuiſſet nactus Pontifices, ſe ultro eorum potentiæ ſubjeciſſet. Pontifex verò quod auctoritate excidiſſet offenſus,edito diplomate, ſive bullâ ut dicunt, Henricum Angliæ Regem excommunicavit, cognito verò poſtea illam à Catharina eſſe procuratam, minoris æſtimata eſt, atque illa in pervicaciæ ſupplicium, parte familiarium privata, brevi poſt deceſſit. Interea Thomas Morus eques & Angliæ quondam Cancellarius & Ioannes Piſcator Roceſtriæ Epiſcopus,qui Regi ut Eccleſiæ capiti Sacramentum exhibere detrectaverant ſecuri ambo percuſſi ſunt. Henricus ſuo jam jure utens, Eccleſiaſtica bona invaſit, monachoſque ſuis monaſteriis expulit. Nec ea injuriâ contentus,

Annam

Annam uxorem Thomæ Boleni Wiltonii Comitis filiam, uxorum secundam, adulterii & incesti condemnatam, cum Rupifortensi domino ejus fratre, aliisque Regii cubiculi ministris, capite plexit. Mirum quanta ignominiæ macula ejus honori, apud omnes exteros Principes hoc facinore inusta sit.

Ianam Semeram postea duxit, quæ in partu Eduardi filii ejus nominis sexti postea Regis, periit; deinde Annam cliviam vix ductam quoque repudiavit, atque illius causâ Thomam Cromelium matrimonii sequestrum, qui ab ima plebe, aurigante fortuna in immensum creverat, capite plexit. Thomas Hovardus quoque Norfolciæ Dux quia Margaritam Regis Scotiæ filiam & Henrici cognatam clam Rege duxerat, proditionis insimulatus securi percutitur. Margarita prius detenta postea demissa, deinde Matthiæ Leviniæ Comiti Iacobi Regis avo nupsit. Seditiones interea in septemtrionalibus Angliæ partibus propter rituum Ecclesiasticorum mutationem hic & illic exortæ, nonnullis supplicio affectis, aliis domum dimissis, aliis quoque bello suppressis, feliciter non tamen sine periculo sedatæ sunt, tantæ enim molis erat Regnum, introductis novis ritibus, quietè possidere.

Henricus jam quintam uxorem Catharinam Howardam duxit, illam vero brevi post

post lasciviæ condemnatam, cum Rupifortensi Domina capite plexit.

Sub illud temporis Hiberniæ Regis titulo indigitatur Henricus, cum antea Dominus tantum audiret. Arthurus interea Plantageneta Eduardi quarti nothus, proditionis insimulatus, & deinde cum ejus innocentia inclaruerat, in Regis gratiam receptus, tantum ex eo gaudium concepit, ut ex mera lætitia sequenti nocte extinctus sit.

Scoti jam Anglorum fines ingressi & populati Henricum ad arma compulere, qni exercitum Norfolcio duce in Scotiam misit, qui diversos pagos & domus demoliens, hoste non viso Barvicum rediit. Scotus hanc violentiam inultam non passus conscripto protinus exercitu Anglos aggressus est. Fusis autem copiis suis & occisis, in tantam animi ægritudinem & deinde febrem incidit, ut brevi post supremam diem clauserit, relicta octo dierum filia Maria Stuartâ Regni hærede. Henricus ut tantis dissidiis duorum Regnorum unione finem imponeret, de despondenda Scotiæ hærede filio suo Eduardo cum captivis proceribus egit. Qui rem urgere recipientes dimissi sunt.

Mediante vero Santandreano Cardinali, hæc tractatio desponsata Delphino filiâ frustra fuit. Quo offensus Henricus valido Scotiæ immisso exercitu, fusis Scotorum copiis, urbeque Letha exusta, iram placavit.

cavit. Pacem dinde cum Imperatore Carolo Quinto sancivit, & sextam uxorem Catharinam Latimeri viduam duxit, quæ ob mutatę Relgionis suspicionem in mortis discrimen adducta, prudentiâ & humilitate evasit. Henricus jam ex fœdere cum Imperatore, Galliæ Regi bellum indixit. Et Duce Iohanne Wallopio exercitum Caletum misit, qui Caroli copiis junctus Landrecium urbem obsidione cinxit. Gallus verò specie prælii Cæsarem ab obsidione avocavit, & postquam commeatum urbi intulerat, deluso Carolo abiit. Henricus verò deinde conscripto magno exercitu ipse in Galliam trajecit & Bononiam oppidum obsidione in potestatem suam redegit.

Interea Anglorum naves magna à Gallis prædâ potitæ Londinum commeatu impleverunt, improsperè verò in Scotia ab Anglis pugnatum est, Regisque Henrici copiæ fusæ, qua victoriâ novoque à Gallis auxilio audaciores Scoti Angliæ fines invasere, Angli vero Hertefordensis Comitis auspicio, innumeros in Scotia pagos diruerunt & victores domum reversi, quanvis aliàs magnam cladem à Scotis passi sint.

Angliæ quoque Ammirallius cum classe Normanniæ oras infestavit, magnamque hostibus stragem intulit, brevi autem post de pace inter Anglum & Gallum actum est, atque in hasce conditiones consensum

ut

ut Gallus Bononiam octingentis aureorum millibus redimeret.

Thomas Norfolciæ Dux & Henricus Surræ Comes ejus filius, proditionis interea accusantur, quia quidquam insignibus suis adscripserant, quod Regii juris esse videbatur, & quanvis jura sua abundè defenderent, capite tamen plexus est Comes. Dux verò usque ad Mariæ Regnum in carcere servatur. Henricus sub illud tempus mortem obiit, Anno salutis M D XLVII. Regni trigesimo octavo, vitæ vero quinquagesimo sexto. Princeps omnibus naturæ dotibus cumulatissimus, & in quo, si voluptatibus haud nimium indulsisset, nihil meritò desiderari potuisset. Literarum fautor eximius.

EDUARDUS SEXTUS, ANGLIÆ FRANCIÆ & HIBERNIÆ REX.

Anno 1547.

HEnricus moriens primis Eduardum filium ex Semera natum, secundis tabulis Mariam Catharinæ filiam deinde Elizabetham ex Bolena genitam hæredes reliquit. Ipse puer novennis Regno inauguratus est. Anno M D XLVII. Sed quia ætate inferior erat, tutores ipsi dati sunt sexdecim, quorum primarium locum occupabat Semeræ frater Somersetensis Dux, summæ integritatis vir. Mors Henrici

ad Franciſcum Galliæ Regem delata mirum in modum ſenem excruciabat, quippe qui ætate illi ſuppar inſtans jam Fatum præſagiebat. Iuſta illi, recepto Regum more ſolenni ritu perſolvit, nec diu poſt præeuntem ſecutus eſt.

Henricus ſub mortem ſenatoribus ante alia injunxerat, ut Eduardi cum Scotiæ Regina matrimonium urgerent. Miſſi ſunt ergo nuntii qui de conditionibus agerent, fidemque repeterent, cùmque Papiſtarum factio pro Delphino prævaleret, conſtriptus eſt illicò ingens exercitus, & duce ProRege Somerſetenſi in Scotiam miſſus. Scoti quoque maxima manu obviam facti ſunt, conſerto verò ad Muſſelburgum prælio, fuſi fugatique ſunt, captis & occiſis præcipuis nobilibus. Hanc victoriam diverſarum urbium deditio ſecuta eſt, majorque nobilium defectio. Ut verò bello litique finis imponeretur, Reginam puellam procerum conſilio in Galliam educandam & deſpondendam mittunt. Interea de veteri ritu in Eccleſiis Anglicis valde mutatum, imagines è templis, auctore Somerſetenſi Reformatæ Religioni addicto, ſublatæ, Sacramentum duabus ſpeciebus exhibitum, aliique veteres mores antiquati, quique obniterentur in carcerem conjecti aut ſuo munere exauctorati. Qua occaſione ingens ſeditio in diverſis Angliæ regionibus excitata eſt, varia tamen rebellium intentione, hi prædandi cauſa advenerant,

venerant, alii Religionis prætextu ad proprios fines collimabant, minima pars veræ Religionis ardore tenebatur. Dato diplomate, conceditur perduellibus si ab armis discedant commissorum impunitas. Verum enimvero quò lenius habebatur, eò magis increscebat insana factio. Exoniam obsidione cinxit, cives verò mirâ vi & virtute famisque & inediæ tolerantia obstitere. Tandem Grajus cum exercitu appropinquans, post levia quędam certamina obsidionem solvit, collectis deinde copiis pugnā deintegro ausi rebelles, aut fusi aut capti & protinus suspendio necati sunt. Hac domita seditione alia haud minor in Norfolciensi agro exurgit. Robertus enim Ketus vilis conditionis vir, ad viginti hominum millia corraserat, quibus stipatus querelas aliquot Regi exhibebat. Rex quanvis cum perduellibus rationes inire indignatus, respondit se proximo Parliamento ipsorum petitiones ratas habiturum, illi autem non contenti Noricum oppidum oppugnant, expugnantque. Northamptonius Comes cum modica militum manu obviam profectus á factiosa turba profligatur, & Sceffeltus Dominus aliique interficiuntur. Novo vero auxilio confirmatus obviam deintegro ivit, atque ostensa coram Regis veniâ, abjectis armis, relictis signis, domum quisque reversus est. In Ketum aliosque auctores animadversum. Alius sub illud temporis exorsus tumul-

tus ultrò consedit, auctoribus solis supplicio affectis.

Galli quoque interea rupto fœdere Anglis bellum indixere. Conductaque classe Garnesæa, & Iarnesæa, & exercitu Boniâ frustra tentatis, ultrò destitere. Angliæ interea Prorex Ammirallium fratrem, muliebri illius uxoris fraude circumventum, & parum fida accusatione condemnatum, ipse deceptus securi percussit. Quo res & auctoritas ejus ingens vitium fecit. Illi enim qui Ammirallio favebant Proregi infensi, & qui Proregi studebant parum ipsi fidentes, uno impetu quanvis diverso studio dilabuntur. ProRex quoque exstruendo præstantissimo palatio (quod etiamnum Somersetense palatium dicitur) intentus, diversa templa sacras ædes, & turres diruerat, quâ injuria omnium animos haud parum alienaverat. Hac occasione usus Warvicensis ProRegi sponte infensissimus, senatores aliquot sibi propitiavit qui simul contra Proregem conjurant, missisque ad Regem Vindesorii degentem, nunciis, qui ipsum de optima procerum intentione certiorem facerent, facultatem ProRegem in carcerem conjiciendi impetrarunt. Prorex vero cum ad objecta crimina aut non posset aut nollet respondere, Regis voluntati & placito sese subjecit, quâ humilitate veniam impetrans in gratiam receptus est. Ducis quoque filia (ut contracto matrimonio pertinacius sta-

ret

ret concordia) Warvicensis filio despon-
sata, & ipse Warvicensis mari præfectus
est.

Pace deinde inter Anglum & Gallum sancita, Bononia, solutis Anglis quadringentis aureorum millibus, Galliæ Regi traditur.

Cæsar interea, quia Romanæ Relligionis usus Mariæ Regis sorori non permitteretur, bellum Anglo indixit, verum accommodato tempori responso pacatus est.

De matrimonio quoque inter Elisabetham Regis sororem, & Daniæ Regis filium, actum est, Elisabetha verò ut cuiquam nuberet persuaderi non potuit.

De nuptiis inter Eduardum & Galli filiam intercidit quoque sermo, quæ certa stipulatà dote sancitæ sunt.

Northumbriæ interea Dux, ut quæ conceperat studia tandem produceret, Somersetensem Ducem omnibus modis averruncare conatur. Hic vero ut insidiis prævarteret, quodam die cubiculum illius armatus intravit, inimicum suum interficere certus, cui tamen quanvis nudum in lecto suo jacentem offenderet, amicâ verò sive vera sive simulata ejus benevolentiæ & humanitatis specie emollitus, pepercit, & re infecta discessit. Postea vero ab eodum Somersetensi proditiónis postulatus, securi percutitur, Fati accusatoris prænuncius. Northumbrius verò cum hactenus res ex animi sententia successerant, fortunam ur-

gere certus, Regi tandem persuasit, ut si reformatam, & apud omnes tunc temporis Anglos receptam Relligionem sartam tectam vellet, præterita Maria sorore Romanis ritibus addictissima, Iohannam Grajam Gilfordi Dudlæi filii sui uxorem sanguine post sorores proximam, hæredem diceret. Rex cum omnibus modis Relligionem servatam vellet, haud ægrè (obnitentibus frustra quibusdam) assensum præbuit. Ipse paulo post ex tabe decessit, cujus morte Northumbriæ Dux voti jam compos factus, Regni moderationem sibi addicavit, Iohannamque filiam Reginam publice, ex Eduardi Testamento, proclamari jussit.

MARIA

ANGLIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGINA.

Anno 1553.

MAria, postquam rumor de morte fratris percrebuerat, citatis equis, Hovesdonio ubi tunc temporis degebat, in Suffolciensem agrum pervenit, cui protinus diversi proceres, pactà prius reformatæ Relligionis incolumitate, accessere, literis deinde senatum Londinensem admonuit ut se Reginam salutaret. Proceres vero omnium nomine responsum dedere, quo jus Ioannæ ex Eduardi testamento matrisque Mariæ divortium asserebant. Ad arma itaque ventum

tum est. Northumbriæ Dux cum modico exercitu Mariæ obviam profectus est. Cum verò tarde procederet, Mariæ copiæ mirè interea crescebant, accesserat Eduardi Hastingii cum quatuor militum millibus uti etiam sex navium qui portus observarent, ne quà Maria ausugeret, ad ipsam defectio, quâ jactura Londinensium & procerum animi haud parum consternantur, atque in se invicem exacerbantur. Londinensis senatus tandem, cùm partes parum constarent, Mariam publicè Reginam salutare jussus est, idemque alibi quoque factum. Northumbrius socios defecisse jam certus, ne solus discrimen subiret, Cantabrigiæ convocato urbis senatu, ipse, fecialis defectu, Mariam Angliæ Reginam (in lætitiæ signum in altum jacto pileo) proclamavit. Parum tamen illud causæ ipsius emolumenti dedit. Arundeliæ enim Comes, qui paulo ante vitam pro Ioanna pacisci, non detrectasset, Cantabrigiam veniens, Ducem frustra mortem deprecantem Mariæ nomine in vincula cum aliis conjecit. Ioanna patris Suffolciensis Ducis jussu, postquam res ceciderant, majori cum voluptate quam assumpserat, Regni insignia deposuit.

Regina Londinum profecta, sororem Elisabetham cum mille equitibus obviam habuit, Thomamque Norfolciensem, Eduardum Contenerum, Stephanum Gardinerum Vinocestriæ Episcopum, & Somer-

fetenfis uxorem dato ofculo in gratiam recepit. Ecclefiaftica deinde munera aggreffus quos Eduardus introduxerat Epifcopos, ritufque, aliis fubrogatis, antiquavit, (frendente nequicquam plebe) acriterque poftea in Romanæ Relligionis hoftes animadvertit.

Northumbriæ interea Dux, Northamptonius & WarvicenfisComites,aliique læſę Majeftatis condemnantur, Northamptonio parcitum eft, Northumbriæ Dux fecuri percutitur, abjurata quā ante fuerat profeffus (fpe veniæ) Relligione. Cadaver ejus juxta Somerfetenfem Ducem capitalem ejus hoftem, inter Annam Bullenam, & Catharinam, fepultū fuit, quibus omnibus eadem pœna illata fuerat. Alii verò perfiftentes, conceptam fidem non ejurarunt.

Ioanna poftea cum Dudlæo marito, Ambrofio & Henrico Northumbrii filiis, capitis damnata eft, pœna autem procraftinata.

Matrimonium deinde inter Reginam & Philippum Caroli quinti filium, Hifpaniarum poftea Regem contrahitur, quæ res nonnullos, qui grave detrimentum inde rebus Anglicis augurabantur, peffimè habuit. Quos inter Thomas Wiatus, Suffolcienfis Iohannæ Grajæ Patris, aufpicio, fumptis armis rebellionem aufus eft, allectis in partem fuam aliis quibufdam nobilibus. Bretus quoque qui contra eum cum quingentis militibus miffus erat, ad illum

illum deficere non dubitauit, quo successu andacior Londinum versus properavit, magnamque civibus trepidationem incussit, adeo ut juridici coram judice armati causam dicerent.

Suffolciensis Dux interea militum in Warvicensi Comitatu delectum habebat. Huntintonius verò Comes adversus eum missus, tantum inermi Duci terrorem incussit, ut propere aufugiens, in silvis & deviis sese abscondere necesse habuerit, tandem ab hospite suo proditus, valido cum præsidio Londinum missus & in carcerem conjectus est. Wyatus interea Londinum veniens urbe prohibetur, ad Kingstonium vero Thamesi trajecto, vim oppidanis parabat. Post leves aliquot cum Regiis velitationes, hostium copiis circumventus est, & postquam manus dederat, in custodiam missus, milites dispersi aut capti sunt. Regina illâ subditorum audaciâ exarcerbata, de supplicio reis inferendo seriò cogitare cœpit. Gilfordus Ioannæ maritus primus capite plexus est, deinde ipsa Ioanna intra arcis Londinensis mœnia mira cum fortitudinis, pietatis & constantiæ laude decollata est. Princeps sane æternâ propter doctrinam & sapientiam memoriâ dignissima. Traditur etiam Morganum, qui mortis sententiam Ioannæ pronunciaverat, paulò post ipsius mortem in rabiem incidisse, & furiosum mortuum fuisse, continue clamitantem ut Ioannam

Grajam à se facessere juberent. Suffolciensis deinde securi percutitur, & eodem die Wyatus omnium malorum causa, parcitum enim fuisset Iohannæ nisi ipse insano tumultu Reginæ iram concitasset. Qui ejus partes secuti fuerant, alii alio loco & tempore supplicio affecti sunt, quos inter Thomas Grajus, nonnullis etiam parcitum. Elizabetha quoque Gardineri Vinocestriæ Episcopi malitiâ in carcerem conjecta, vitæ discrimen nisi prudenter de fide interrogata respondisset, haud dubiè incurrisset. Crudeliter quoque in Romanæ Relligionis hostes animadvertitur, inter quos ipse Crammerus Cantuariæ Archiepiscopus, Nicolaus Ridlerus Londinensis, & Hugo Latimerus Worcestriæ Episcopi fidem abjurare detrectantes, igne consumpti sunt.

At Reginæ cum Philippo nuptiæ jam celebrantur, & misso à Pontifice Cardinali Polo, Angliæ quasi errores expiantur, omnesque peccata sua confessi, in gremium Pontificium recipiuntur.

Fama jam vulgatur Reginam concepisse, quo gaudio illa exultans varios qui in Turri servabantur solvi jussit, quos inter Northumbriæ Ducis filii capitis antea condemnati. Hydrops vero quo morbo laborare Regina comperiebatur, omnẽ spem dissipavit.

Ne autem pietatis exempla deessent, quæ hactenus possederat Ecclesiastica bona Ecclesiæ restituit cùmque admoneretur

neretur liberalitate illâ Regios reditus haud parum imminui, se animæ salutem universo mundo præferre, piè juxta & prudenter respondit.

Philippus interea Bruxellas ad patrem Carolum profectus, Hispaniæ Regnum aliasque ditiones anticipatione nactus est, deinde in Angliam rediit, postea rursus Caletum iter instituit, ad bellum cum Gallo gerendum, ultraque octodecim menses isti negotio, non sine Anglorum murmure & Reginæ luctu, immoratur.

Thomas Staffordius sub illud temporis à Gallo Rege ad bellum Reginæ inferendum instigatur, & in Angliam cum copiis appulsus, arcem Eboracensem in potestatem suam redegit, à Westmerlandiæ verò Comite brevi domitus captusque, Londini securi percutitur, aliique ejus sequaces suspendio necati sunt.

Regina verò quanvis conditionibus ne fieret cautum erat, mariti bellis sese immiscuit, atque exercitum duce Pembrucense, Quintini fanum obsidenti auxilio misit. Galli commeatum urbi inferre conantes, prælii aleam subire necesse habuerunt, quò superati, & nobilitatis præcipui (quos inter Momorantius, Mompenserius & Longo villanus Duces) capti sunt; Ioannes Borbonius Angianus Dux interfectus est. Secuta est urbis deditio. Quæ victoria Anglis potissimum imputata

graviori autem jactura corrumpitur, Caletum enim plusquam oportebat præsidio nudatum à Guisio Duce rei bene gerendæ occasionem aucupante, iteratis summa virtute oppugnationibus, ad deditionem tandem compellitur, postquam ultra ducentos annos Anglorum in potestate fuerat. Sequitur Guinæ non sine defensorum virtute expugnatio, atque adeò tota Gallia Angli exacti sunt. Regina mirum in modum Caleti jacturâ excruciabatur, missaque maxima classe pagis aliquot igni consumptis, vanum dolori solatium quæsivit. Pax tandem inter Reges sancitur, non tamen Mariæ conquiritur, quæ contracta ex Caleti expugnatione animi ægritudine, & corporis ex hydrope debilitate, supremam tandem clausit diem. Anno salutis M D LVIII. Regni quinto, ætatis quadragesimo tertio.

ELISABETHA,

ANGLIÆ FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGINA.

Anno 1558.

SUcceſſit sorori Elizabetha Henrici Octavi ex Anna Bolena filia, ex carcere ad thronum evecta, cujus auspicio Pontificia auctoritas jam secundo vitium fecit. Omnes quos induxerat Maria Relligionis ritus aboliti, resque Ecclesiastica ad priorem,

priorem, quam sub Eduardo fratre habuerat, normam reformata.

Cum florentissimo Regno juxta & ætate frueretur, non potuit non variis atque adeo æmulantibus rivalibus peti. Maximilianus enim Augustus, Hispaniarum & Suetiæ Reges, Austriæ Archidux & Andium Dux, certatim illius gratiam ambivere, nullus verò obtinuit, primitus quia Regina non nupturiret, deinde, quia ipso Regni principio cautum erat, ne extero alicui marito nuberet, quò incolis magnatibus tanti matrimonii spes esset.

Galli & Scoti ex juniore & tenera Virginis ætate & sexu rei bene gerendæ occasionem sperantes, Anglorum fines infestâ populatione vastabant, Maria enim Stuarta Iacobi quinti filia, Francisco secundo Galliæ Regi nupserat, & jus itaque Gallus sibi in Angliæ Regnum arrogabat, cum uxor ab Henrico septimo genus duceret, & Elisabetha secundis nuptiis, vivente priore Henrici octavi uxore, genita, pro notha apud inimicos haberetur. At Elisabętha ut vicinorum animos sibi conciliaret, Scotiæ subditis, qui Guisiorum malitiâ Reformatæ Relligionis ergo graviter multabantur, clam auxilium tulit, atque eò rès perducta est, ut pace inter Elisabetham Gallos & Scotos sancitâ, quicunque in Scotia Romanę Relligionis nidulabantur, facessere jussi, Angliæque insignia quę perperam Gallus assumpserat ipsi ademta sint. Maria

deinde

deinde mortuo Francisco in Scotiam reversa est, justamque cum Elisabetha amicitiam coluit, donec instigante invidiâ & ambitione alterius exitio tum pax violata, tum sororians concordia rupta sit. Maria enim secundis nuptiis Henrico Darleo Stuarto consanguineo, omnium Principum facile formosissimo nupserat, quo muliebri ut creditur fraude postea perempto, omnium subditorum odium incurrit, cumque Bothuelium invitis proceribus, postea lecto suo associaverat, ejusque gratiâ bellum subditis moverat, in omnem miseriam incidit, captaque diutinè servatur, postea verò elapsa, in Angliam ad Elizabetham confugit, quæ obviis ulnis misellam excepit. Liberaliter prius habita est, postea verò cum Angliæ suo ipsius hospitio turbas, Reformatis infensissima, moveret, majori sedulitate servata. Ad octodecim annos, nunc laxiori nunc arctiori custodiâ detenta est, donec captivitatis impatientiâ efferata, & Regni spe luxurians, ipsius tandem Reginæ vitæ insidiaretur, atque ob eam causam rogantibus & urgentibus Angliæ Ordinibus, securi percutitur. Suffolciensis quoque Dux qui clam Reginâ Mariæ nuptias ambiverat, eodem ante fato extinctus erat. Elisabetha interea, laborantibus Galliæ reformatis auxilium tulit, recepto pignori Gratiæ Portu urbe Galliæ munitissima, cum autem illam deserere detrectaret, à Galliæ Rege bellum indicitur,

tur, atque oppidum obsidione recuperatur.

Gliscebat sub illud tempus acre inter Hispaniarum Regem Philippum secundum, & Belgas dissidium, bellumque: atque Elisabetha Relligionis, & regionum affinitate ducta, milite & argento Unitarum Provinciarum rebus subsidiata est. Lycestrius cum copiis in Hollandiam mittitur, cum vero secus quam jussus erat rem administraverat, nimiamque sibi auctoritatem arrogaverat, quin etiam dolo, præcipua oppida sui juris facere studuerat, Ordinum gratiâ excidit, atque in Angliam sine laude revertitur. Hoc auxilio Hispani odiumRegina meruit, qui clandestinis prius dolis ejus vitæ insidiatus, deinde aperto bello, Regnum aggressus est. Conscriptam enim stupendam tum in Hispania tum in Belgio classem Angliæ inferre tentabat, speque totam jam devorabat. Anglorum verò & Belgarum virtute, quà retenta, qua clade affecta, & potissimum adversâ tempestate dispersa, spe sua Regem defraudavit. Ab eo tempore in acre utrinque, sed maximam partem maritimum bellum erumpitur & (in occidentalibus præsertim Indiis, & Portugallia) ab Anglis & clades illata, & accepta est.

Regina dispersis illis imminentis tempestatis nebulis, publicam Deo liberatori gratiarum actionem instituit, & Triumphanti similis, Londinum ingressa est.

Non

Non tamen tumultuum expers fuit, qui vero Reginæ prudentia, & mascula virtute in ipso ferè partu oppressi sunt, fitque jam Anglia persecutorum, & miserorum, qui ex flagrantibus bello Gallia & Belgio certatim advolabant, profugium.

Missus interim Franciscus Dracus Hispaniolam Insulam versus, magnum Hispano Regi in illis partibus negotium facessivit, capto Promontorio viridi, vastata Hispaniolâ, variisque sed levioribus pugnis cum ipsius copiis velitatus. Cum verò bello in continente nulla daretur occasio, non sine laude & præda domum rediit. Sequenti quoque anno per eundem Dracum triginta sex Hispanorum naves Iccium portum tenentes, aut incensæ, aut direptæ, aut optimis cum spoliis, in Angliam abductæ.

Eadem penè fortunâ Essexius Comes cum ingenti Anglorum & Belgarum classe Hispaniæ oras populatus est, factoque deinde in continentem impetu, Gades expugnavit, urbeque expilatâ & triginta tribus in portu stantibus combustis navibus, prædâ gravis in Angliam reversus est. Postea vero classis Anglica Hispanorum naves, ex occidentali India cum divitibus mercibus redeuntes, observans, in Terceram Insulam confugientibus illis, frustra fuit.

Inter Hispanum deinde & Gallum pax sancita est, Angli vero & Confœderatæ Provinciæ, eâ comprehendi detrectarunt, cum suis rebus adversam crederent, sed

inito

inito fœdere conjunctis viribus Hispanis bellum inferunt. Instigante Hispano Tironius Comes gravi in Hibernia exurgit rebellione, mittitur eò Essexius ut perduelles domaret, & in ordinem redigeret, ille verò occasionem hostem profligandi turpiter neglexit & secus quam jussus erat, de pace cum rebellibus egit. Domum ergo vocatus causam ante judices dicere jussus est, criminum vero convictus, humilitate sua gratiam Reginæ meruit. Postea autem, sive pudore sive regnandi studio instigatus, correpta militum manu armatus Londinum ingredi non erubuit, & cum vim ipsi Reginæ pararet, diffluentibus copiis ipsius, captus, proditionis damnatus, & securi percussus est.

Carolus Bluntius ejus loco missus, diversis præliis perduellium vires mirè attrivit, & quanvis Hispanus varias copias auxilio miserat, conserto prælio Tir-onium & auxiliares Hispanos, fudit & dispersit, & deinde initâ conditione, hos Hibernia exegit. Tir-onius postea cum omnem lapidem moverat, manus tandem dedit, humiliterque Reginæ gratiam flagitavit. Interea Ricardus Levisonus, cum Guljelmo Monsono, & octo majoribus & aliquot minoribus navibus, Hispaniæ oras populaturus profectus, classem Hispanorum ex America cum magnis divitiis reducem, obviam habuit, frustraque, viribus inferior, adortus est. Postea verò maximam & ditissimam

tiſſimam navem ad Luſitaniæ littora in anchoris ſtantem, expugnavit, & minoribus aliquot combuſtis, cum illa in Angliam rediit.

Romanæ Relligionis ſub hoc temporis miniſtros & præſertim Ieſuitas, quia malè inter eos conveniebat, & jam turbæ ab illis ſpargebantur, Angliâ exegit.

Ætate tandem & morbo debilis, ſupremam diem clauſit, Anno M D C II. pièque (nominato ſucceſſore Iacobo Scotiæ Rege Mariæ Stuartæ filio) deceſſit, poſtquam quadraginta annis & quatuor menſibus regnaſſet, Princeps, omnibus naturæ & corporis beneficiis cumulatiſſima, formâ venuſta, ſpiritu autem venuſtior, doctrina inter omnes excellens, bonitate & juſtitia commendabilis. Mater erat cùm ſubditos liberorum loco habebat, ſubdita cum legibus obtemperabat.

IACOBUS MAGNÆ BRITANNIÆ,
FRANCIÆ & HIBERNIÆ REX.

MOrte Eliſabethæ quam patiebatur res Anglica jacturam, ſucceſſione Iacobi, & duorum Regnorum Angliæ & Scotiæ coalitione, abunde reſtaurata eſt. Hic illâ nec virtute nec Relligione inferior, conceptum ſubditis dolorem novo gaudio ſedavit. Rex

eo felicior quod legitima succeſſione, non turbis non bello implicitum, ſed pacatiſſimum Regnum nactus eſſet. Haud ſecus verò atque ſereniſſimis diebus, obortis ſubito nebulis, tonitrua & fulgura ſubinde inſoleſcant, res quoque Britannica, quanvis pacatiſſima quorundam malitiâ & conjuratione periclitata eſt. Auctores erant Henricus Cobhamus, Georgius frater ejus, Thomas Grajus Wiltonius, Gualterus Raleigh aliique. Regem vix inauguratum interficere, Relligionem mutare, turbas ciere, exterorum invaſionem procurare ſtudebat dira factio, verum enimvero re detecta, & auctoribus quà morte multatis, quà perpetuo carceri damnatis, quin etiam libertate donatis, in fumum hæc flamma reſolvitur. Ne autem ex novis bellis quies vitium faceret, pacem cum Hiſpaniarum Rege jurato Anglorum hoſte inivit, quæ utrinque ſolemni ritu confirmata eſt.

Foris quanvis ſtabilitâ pace, novis curis tamen domi occaſio data eſt. Cùm enim conſcripto Parliamento Rex operam daret, dira quædam conjuratio detecta eſt, auctore præcipuo Roberto Catesbejo Romanæ Relligioni addicto. Hic poſtquam alios nonnullos ſuis partibus implicuerat, totam rem Anglicam uno ictu quaſi miſſo cœlitus fulmine extirpare nitebatur; conductæ enim, ſub aula illa qua ordinum conſeſſus ritè fieret, cellæ, nitrati pulveris immen-

immenſam vim intulerat, cui injectâ igni tota domus cum ipſo Rege, principe, & procerum manu in ſublime raperetur, importunâ vero conjuratorum curâ quâ Montaquilinum Dominum, Morlæi filium, Parliamenti membrum, cætera ipſis amicum & gratum, periculi admonuerant, res detecta eſt, in crypta, non ſine ſtupore, horrenda diri ſceleris inſtrumenta ſunt inventa, & protinus ſublata. In conjuratos deinde animadverſum eſt, Catesbejus cum ſociis, Ioanne & Chriſtophoro Wrigt & Thoma Percio internecina glande cum ad arma confugerat, extinctus eſt, alii capti & ſupplicio affecti ſunt, quos inter Eduardus Digbejus, qui invitus hac factione implicitus, cætera optimæ indolis erat. Atque adeò nefarium illud ſcelus quod ipſas furias fatigaverat, expiatum eſt.

In Northamptonio & Warvicenſi agris novis tumultibus cauſa data, qui primitus ſine, deinde cum Duce Iohanne Reginoldo, exarſit, brevi autem hæc oppreſſa factio, atque auctores pœnâ affecti ſunt.

Fredericus interea Palatinus Septemvir Eliſabetham Iacobi filiam ducturus, Londinum appulit. Nuptiæ ingenti pompa celebratæ ſunt; triſtitiæ autem nebulis ex morte Henrici Walliæ Principis Iacobi filii offuſcatæ. Carolus fratri in Walliæ Principatu ſucceſſit. Gualterus Rauleigh poſtquam quatuordecim annis in carcere ſervatus fuerat, ſpe aurifodinæ in Gujana

ſine

ſine injuria Hiſpaniæ Regis obtinendæ ex vinculis dimittur, & cum aliquot navibus eò legatur. Cum verò ſucceſſu fraudaretur, ne nihil ageret, urbem Santhomè ſive Thomæ fanum facto impetu expugnavit, & expilatam combuſſit. Hiſpanus vero eâ violentiâ & fœdifragio offenſus, de ea injuria per legatum ſuum apud Iacobum conqueſtus eſt, qui fœdifragum jam in patriam reducem ſecuri percuſſit.

Anna Regina ſub illud tempus ex morbo deceſſit, Princeps ſanè perenni memoria propter inſignes virtutes digniſſima. Rex quoque in morbum incidit, præſenti vero Dei auxilio ſanitati reſtitutus.

Palatinus interea qui Elizabetham duxerat, aurigantibus quibuſdam Germaniæ Principibus Bohemiæ Rex eligitur. Imperator vero hac electione mirè offenſus, indicto eidem bello, Bohemiâ illum & deinde totâ Germania exegit, qui in Hollandia communi miſerorum aſylo, benignum juxta & tutum hoſpitium invenit. Iacobus verò ut generi rebus conſuleret, de matrimonio inter Carolum filium &, Hiſpani filiam ſermonem injecit.

Mittitur in Hiſpaniam Carolus terreſtri itinere per Galliam, ubi Mariam Henrici quarti filiam quoque vidit. Magnificè ad ſpeciem in Hiſpania quidem exceptus eſt, natâ vero inter Buckingamiæ Ducem & Comitem Olivarium præcipuum aulę Hiſpanicæ miniſtrum, diſcordiâ, matrimonii

tracta-

tractatus in longum trahebantur, Carolus verò moræ insolens, à patre domum vocatus, in Angliam feliciter rediit, & postea, quam amantibus oculis in Gallia viderat, Mariam uxorem duxit.

Cætera quæ de Iacobo dicenda restant, aut relatu vix digna, aut veritati minus consentanea sunt, mortuus tandem est ex lienis quodam vitio, quanvis de veneno sumpto, mendaces spargebantur rumores, postquam viginti duobus annis regnavisset, & quinquaginta novem vixisset. Anno salutis Humanæ M D C X X V. Princeps verè Platonicus, dignus uxori maritus, probus pater filiis, bonus Rex subditis, doctissimus quia Princeps erat, & optimus Princeps quia doctus erat.

Hoc regnante Rege Anglorum in Indiis coloniæ constitutæ sunt, ut in Virginia, quod territorium Gualterus Rauleigh primus exploraverat, & in insulis Barmudis, quo ingens hominum numerus brevi spatio convolans, exstructis publicis & privatis ædibus, justæ reipublicæ speciem præbuit. Idem factum est in nova Anglia, magno profugorum & miserorum solatio.

CARO-

CAROLUS PRIMUS,

MAGNÆ BRITANNIÆ FRANCIÆ & HIBERNIÆ REX.

Anno 1508.

SUcceſſit patri Carolus primus, ætatis anno vigeſimo quinto. Primum ipſi negotium fuit, matrimonium quod animo conceperat, cum Henrietta Maria Henrici quarti Galliæ Regis filia contrahere, quæ vigeſimo ſecundo Aprilis die in Angliam appulit, magnoque apparatu excepta eſt.

Adverſus Hiſpanos deinde claſſis parata (amicitia enim inter Reges, ob ruptum matrimonium & Palatini negotia exoluerat) Hollandis navibus juncta Hiſpaniam verſus navigavit, Gadibuſque fruſtra tentatis, in altum rediit, omneſque quas offenderat Hiſpanicas naves populata, in Angliam reverſa.

Iam fœdus inter Anglos & unitas provincias interceſſerat, junctiſque viribus Hiſpanum fatigare conſtituebant, Carolus vero, cui exhauſtum (propter ingentes tum itineris ſui in Hiſpaniam, tum claſſis ſumptus) ærarium erat, Ordinum conſeſſum conſcribere neceſſe habebat, illi vero cum Buckingamius præcipuus Regius miniſter, ipſique ſupra omnes chariſſimus rationem nondum reddiderat, quod petebat Rex ſubſidium negarunt, qui argentum

propterea aliunde petere compulsus est, quo ingentem de novo classem collexit, quæ cum Batavorum navibus obvias quasque aut ex Hispania redeuntes, aut eò vela facientes, diripuit, ipsasque ejus Regni oras, mirè infestavit, cùm verò nec ipsis Gallis parceretur, Anglorum aliquot in illis partibus naves detentæ sunt, & mercatorum bona fisco addicta. Auxerant indignationem Romanæ Relligionis minisstri qui cum Regina in Angliam irrepserant, & clandestino negotio Anglorum res turbabant, ex Regno facessere jussi, donis tamen & honorariis aucti. Gallus hac veluti injuriâ offensus Dominum Bassopetrensem Legatum extra ordinem in Angliam misit, qui tantum egit, ut nonnulli revocarentur.

Nec tamen eò contentus Gallus omne cum Anglis negotium subditis interdixit, quod & Carolus fecit. Crescente interea invidia, Ludovicus illinc Rupellanos premebat, hinc Carolus obsessis auxilium ferebat, quanvis flaccescente quorundã animo parum proficiebat, qui ob ignaviam, in Angliam reduces, in carcerem conjiciuntur. Præsertim contra Buckingamium, expeditionis ducem acres à Parliamento querelæ institutæ sunt, *Quod nimirum militibus Anglicæ reipublicæ stipendia non facientibus, maritima quædam oppida servanda tradidisset, ducesque exoticos istiusmodi muneribus præfecisset. Quod summo istius Regni detrimento & periculo*

riculo Germanos milites in Angliam induxerat. Quod ipso suasore unum post aliud Parliamentum nulla re acta dissolveretur. Quod ipse plurimos praestantes nobiles suis muneribus immeritos exauctorasset, aliosque minus dignos substituisset. Quod bellicae expeditiones imprudenter aggressae, malum semper exitum habuerant, ut nuperâ memoriâ ad Rupellam visum erat. Quod mercatura illo auctore vitium fecerat. Quod apparatus bellicos ipse aliò deduxerat, & immensam navium vim mala administratione perditum iverat, aliaque.

Carolus verò ne ulterius cum Buckingamio ageretur, consessum protinus dissolvi jussit. Et continuis obsessorum precibus victus, novas conscripsit copias, Rupellanis duce Buckingamio auxilio mittendas. Cum verò ipse jam navem conscendere paratus erat, à Iano Feltone nobili Anglo, qui hoc facinore Patriae parentabat, cultro interfectus est. Percussor vero captus, vitam laqueo finivit. Novo deinde conscripto Parliamento, conquestus Rex quod Tributum Doliare (ut vocatur) ipsi negaretur, responsum habuit istiusmodi subsidia nunquam, nisi urgènte necessitate Regibus concedi solita, melius itaque fore si abusibus qui passim irrepserant, praecaveretur, quapropter iterum & ipse consessus dimittitur.

Cunctis interea negotiis supersedetur, si quis enim tributum illud, non persolveret, Regis, si solveret Ordinum indigna-

tionem incurrebat, atque adeo haud dubiè sequentibus malis causa præbita est. Rex Parliamenti pervicaciâ offensus, aliquot istius membra Ioannem Eliots, Petrum Samonem, Dominum Hubertium Equitem, Seldenum, Caritonem Densirium, Collisium, & Valentinum in carcerem conjecit, judicesque qui de eorum causa cognoscerent constituit, illi vero cum præter consuetudinem se lectos putabant, rem aggredi detrectabant, quid potissimum facerent incerti, hinc enim Rex, illinc populus premebat. Regii ministri interea ad mercatores, quos recepto vocabulo, Aventurarios dicebant, nuncios misêre, ut suas merces more solito venui exponerent hortantes, omnia Regi curæ fore, modo debitum tributum solverent. Ipsi vero negabant, nisi Ordinum consensu hoc fieret.

Idem & alii mercatores fecêre, memoriæ enim hærebat, illata ante centum annos mercatoribus pœna, qui invito Parliamento tributa persolverant, ex quorum facultatibus, ne res posteros lateret, sacellum extructum erat, quod *Oldermans Berry* hodie indigitatur, immo peregrinus quidam mercator, qui soluto prætio, merces suas exposuerat, omni commercio excluditur. Atque ea ratione indignationi utrinque causa datur. Pax interea cum Gallis sancita, & Regina filium primogenitum Carolum enixa est. Hispanus quoque

que variis bellis & ærarii penuriâ implicitus, pacem cum Carolo inire satius habuit quam ad ultimam rerum desperationem perduci, nec tamen eò melius inter Regem & subditos conveniebat.

Accesserant enim aliæ & graviores diffidii causæ. Rex communium & receptarum orationum librum imprimi curaverat, ut illi quibus non eadem animi influentia, haberent quod imitarentur, & præsenti stylo ad majorem intentionem incitarentur. Hic jam per omnem Angliam, in ædibus & templis prælegebatur, Scoti verò scrupulosa in opinione gens, quæque pervicaciæ minus quam indulgentiæ nomen exhorrescit, & citius in Religionem quam ejus ritus peccaret, publicè detrectabant, illi potissimum qui affectatam puritatem exhibentes Puritani audiunt.

Carolus vero ut pertinaces in ordinem redigeret, conscripto protinus exercitu, Scotiam invadere aggressus est. Occasionem præbuerat Iacobus Hamiltonius, qui à Carolo in Scotiam ad incolarum animos priusquam ad arma veniretũr placandos missus, rem studio malè administraverat, quippe qui Scotiæ Regno inhians turbas ciere tentabat, & ex turbis rei gerendæ occasionẽ capessebat. Scoti ab alia parte ne otiosi exitium opperirentur, cum suis copiis, sed vexillis & signis non explicatis, armisque in humilitatis signum humì depressis, Regi obviam profecti sunt. Sed

quando jam uterque exercitus in procinctu ſtaret, Angli ne manum cum fratribus conſererent, pugnam detrectarunt, pacem ergo cum Scotis inire, parum juſtis conditionibus neceſſè habuit, quâ confirmata Londinum rediit. Vix enim reverſus erat, cum factioſi quidam homines, quique ex tumultu & bello bonum rebus ſuis auſpicium aucupabantur, Regis ignaviam ſuggillantes, ad novum cum Scotis bellum, incenſum ſponte animum inſtigabant, quapropter denuo in Scotiam cùm exercitu proficiſcitur, eademque qua ante militum contumaciâ, ſpe ſua delapſus eſt. Scoti quoque arctius contra Regem fœdus quod vulgato vocabulo (*convenant*) dicitur, icêre. Ipſe itaque cum in rerum penuriam inciderat, Ordinum conſeſſum conſcripſit, & ſubſidium illos popoſcit, ſed fruſtra, ad alias propterea artes confugio opus fuit. Regina quæ eâdem quâ Rex curâ premebatur cum Carolo Roſſeto Comite, aliiſque Barbarinorum miniſtris Panzanio & Cunæo, de ſubſidio ex Pontificis ærario impetrando egit (inſcio tamen ut creditur Rege) promiſſa ſi ſpe non defrandaretur, Catholicis per Hyberniam, majori in ſuis ritibus libertate. Roſſetus verò negabat alicui, niſi Catholico (ut dicunt) Principi id genus ſubſidii poſſe concedi, ſi verò Rex receptam Relligionem abjurare, & Romanæ Relligioni adhæreſcere vellet, omne auxilium ſpondebat. Ipſo vero tantum Sacrilegium

legium exhorrescente, nihil actum est. Rossetus verò propter hoc negotium magno premebatur discrimine, Angli enim qui post ejuratam Romanam Relligionem, peste & morte pejus illius nomen oderant, conspecto ejus asseclas majori jam libertate gaudere, & auctorem Rossetum non ignorantes, tumultuariâ manu impetum in eum faciunt, ut frustulatim noxium exosæ superstitionis ministrum discerperent, ipse autem vix ignotis vestibus elapsus, inter Reginæ matris Mariæ de Medicis, in Anglia tunc temporis degentis familiares se clepsit, & Iohannis Iustiniani, Venetorum Oratoris ope postea periculo se subduxit, conscensâque nave in Flandriam enavigavit, postquam verò Romam venerat, propter rem bene gestam, Cardinalitio galero à Pontifice Urbano octavo donatus est.

Hiberni interea in novam rebellionem exarserant, & Regni Ordines omnibus modis tanto malo remedium meditabantur. Rex quoque haudquaquam quietus liturgiam de novo impressam omnibus Angliæ Ecclesiis obtrudebat, omnesque securis atque Elizabethæ tempore fuerant ritus prohibebat. Interea ne nova dissensionum causa deesset, septem Sacrifici Romani in carcerem truduntur capitisque à Parliamento condemnantur. Verum Gallici Regis Orator, casum ipsorum miserans, mortem illorum apud Regem deprecabatur.

cabatur. Rex negabat se quidquam sine Parliamenti consensu in illo negotio valere. Fit ergo ad Ordines instantia, qui se haud invitos præbuere. Rex postquam hoc resciverat, importunâ anticipatione illius rei gratiam præoccupare satagebat, atque injussu illorum Sacrificos ex carcere liberari jussit. Ordines præmatura Regis auctoritate offensi, prius decretum in mortis sententiam commutarunt. Rex iterum insistere, & liberationem urgere, nequaquam desistere certus, priusquam Ordines justo numero congregati, plenâ auctoritate rem judicarent. Illi verò sponte sua monachorum unum aut alterum mortis supplicio afficiunt. Mirum quantam vulgi benevolentiam sibi hoc facto conciliaverint, præsertim cum publicis scriptis, Regis auctoritatem commaculare immo evertere conarentur, additis adulatoriè plebis favori accommodatis verbis. Rex contra in nobilium vel supremæ domus consessu, de inferioris aulæ insolentia, conqueritur, acrique sermone in ipsius pervicaciam invehitur, se posse & nolle ad tantas injurias connivere. Alii rursus de nimia Regis auctoritate sermonem injiciunt & remedia flagitant. Rex interea hos exauctorare, illos inducere Regni ministros, ut inter cæteros Montjojum Turris Londinensis præfectum loco moverit, alio, suæ parti addicto, invecto. Inferior autem domus hoc secus interpretata, quasi omnem

nem regnandi auctoritatem ad se pertrahere Rex conaretur, novum arcis præfectum apud supremæ aulæ Ordines incusabat ut factiosum hominem, quique antea à judicibus capitis condemnatus, ad ministerium tanti momenti ineptus erat. Addens quoque rem illam periculi nequaquam expertem esse, si forte arcis usu totam urbem populumque Londinensem perditum ire vellet. Superior Domus tale dedit responsum, *Ni falcem alienæ meßi immittere studerent, in illo negotio Regi ullum impedimentum facessere, nefas esse. Munia distribuere, antiquam & receptam Regum prærogativam esse.* Consensum illis verbis haud occultè negans. Inferior autem Domus ad veteres conversa abusus, interminatur, ni secum nobiles consentiant, se rem ad plebem delaturam, acreque indignationis incendium excitaturam, publicam quietem nimio studio turbare non erubescens. Nec diu ecce immensa famulorum (quos prentises vocant) aliorumque scurrarum manus ad aulæ portam convenit, clamitans, & detonans, ni arcis præfectum quem papistam, seditiosum, nefarium & indignum hominem appellabat, loco moveant, Cœlum se terræ immisturam; tantumque præstabat, ut tum Rex tum Ordines assentire compellerentur.

Perditus sanè in justa republica abusus, si cum studia minus valeant, vis & violentia; & insanus plebis furor rerum ordinem

vertat. Nec eo contenta furibunda hominum proluvies, facto deintegro assultu Episcoporum Regimen oboleri, omnesque Romanæ Relligioni addictos ordinum consessu prohiberi contendit, utque rei necessitatem imponant, Westmonasteriense templum antiquâ Majestate venerandum, lymphaticis similes invadunt, inque Divina ornamenta, organa, sepulchra & quicquid aut vetustate decorum, sumptibus pretiosum, aut artificio æstimandum, sæviunt: Vix defunctorum ossibus & cineribus parcitum, eò usque ipsos hæc puritana impuritas adegerat. Ad Regium Palatium fit exinde concursus, vasta voce detonantium, & idem urgentium. Rex verò omnes ad sua negotia facessere jussit, gravi secus facientibus indicta pœna, & ne in posterum istiusmodi impetus ipsi metuendi essent, stipatorum majori manu sese muniebat. Ordines sive metuentes sibi, sive Rege inferiores esse nolentes, justam quoque civium manum in sui securitatem duce Essexio Comite poscunt. Rex verò nec consensit, nec negavit. Novam deinde & inusitatam rem aggressi, consessum extra ordinem in urbana curia, quæ graviora & occurrentia negotia disceptaret, conscribunt, inscio vel invito Rege. Utque Majestatem gravius læderent, ejus partem infirmarent, aut potius insolescenti plebi litarent, duodecim Episcopos in carcerem conjiciunt, quia publico diplomate

jus

jus suum defendere conati erant. Pessime illa res habuit Regem eosque qui domestica quiete carius & gratius nihil habebant, illi vero qui ex turbis & tumultibus rebus suis emolumentum sperabant, occultè gaudere, discordiam fovere, & omnem lapidem movere, donec ipse Bristolliensis Comes cum filio eodem periculo involveretur (Staffordius præcedenti anno in plebis gratiam securi percussus erat, vir laudatæ & acceptissimæ sapientiæ) cujus fatum postea Guljelmus Laudus Cantuariæ Archiepiscopus Regni Primas, secutus est. Hæc autem omnia extra Regem erant, nunc viscera ejus tangebant, Reginam enim Majestatis insimulare non dubitant, quasi clam Hiberniæ motibus causam præbuisset, & occulte animos illorum sponte mobiles, ad defectionem solicitasset. Rex hac re motus, inferioris Domus quinque, & superioris unum proditionis accusabat. Mandevillæ mimirum Vicecomitem, Dominum Pym, Hambdenum, Hasebingium Equitem, Dominos Holles & Strodum, clarè demonstrans hisce tumultibus & dissidiis occasionem illos fabricasse. Accusationis articuli hi erant: *Quod fundamentales leges evertere, Regemque suâ auctoritate exuere conati fuerant.*

Quod subditorum animos ab eodem alienare tentaverant.

Quod eodem artificio Regios milites ad defectionem solicitaverant.

Quod extranea auxilia ad Regnum occupandum procuraverant.

Quod Parliamentum ejusque jura pessundare nixi erant.

Quod omnimodè Ordines ad se & suam sententiam pellicere studuerant, atque ideo plebis concursum & motum excitaverant.

Vltimo quod hoc belli incendium contra Majestatem conflaverant.

Hisce inferiori consessui prælectis articulis, petebat Rex ut mitterentur qui extemplo scripta eorum scrutarentur, missi vero ad Regem sunt qui ipsi desuaderent, & Parliamenti nomine se vades pro fide accusatorum constituerent. Rex verò se cæcam subditorum obedientiam postulare, respondit. Alii rursus Regem Parliamenti privilegia evertisse hoc facto contendebant, & dictam accusationem ut famosum libellum notabant.

Rex itaque vim vi opponere certus, militum suorum auxilium implorat, & sequentibus quingentis armatorum, ad aulam convolat, & omnibus foris opperiri jussis, solus ipse truculento & irato vultu intrat. Cùmque accusatos nullibi conspiceret, seriò bonam suam erga Parliamentum ejusque leges & privilegia, inclinationem demonstrat, accusatos simul Dominos sibi tradi postulans, atque adeo eodem quo venerat modo in palatium suum rediit, iterumque fecialem misit ad vestigandos incusatos. Deinde ad curiam quâ

Ordinum

Ordinum cæteri conventum habebant, iter instituit, ubi deintegro bonum suum animum coram exhibebat, & invidiam quâ petebatur amoliri tentabat, nihil mutare, nihil secus facere se velle atque Elizabethæ tempore factum erat, asseverans, ad prandium deinde ad Scheriffi cujusdam ædes non sine periculo propter efferatam plebem, concessit. Inferior autem consessus, communicato nobilibus consilio, hunc Regis in sua privilegia rigorem, omnibus modis ulcisci constituit, civibus arma statim ministrabat, officinas claudi jubebat, & conventibus ad quinque dies supersedebat. Omnibus quoque civibus interdicunt Ordines, nequis Regi in vestigandis accusatis operam navaret, invisum adeo Regem plebi quantum poterant reddentes, eiusque auctoritatem vellicantes. Rex interea, cum gliscente jam inter duos consessus invidia & discordiâ ad evertendos plebis conatus uti potuisset, in violentam iracundiam erupit, Londinensem arcem præsidio firmat, & deintegro accusatos proditionis reos declarat, omnibus simul prohibens eosdem aut celare aut aliò devehere, illorum fortunam ipsi promittens, qui aut vivos aut extinctos illos proderet. Verum enimvero tantum aberat ut Regi mos gereretur, ut accusati magna civium coronâ stipati, frendentibus nequidquam Regiis, Senatum rursus intrarent. Nondum vero satis erat, Parliamentũ enim per urbem

diffamabat, Regem exitium civibus, urbique incendium meditari, jam paratum esse impetum, omnesque Romanæ Relligionis sequaces in procinctu stare, quod haud parum civium animos exacerbavit. Urbis verò Senatores meliorem viam ingressi Regi humiliter demonstrabant jam plus satis incensam esse plebem, demitteret ergo ab acerbis consiliis, reique modum inveniret. Quibus summa modoratione Rex respondit, læsam simul auctoritatem suam graviter conquerens. Parliamentum verò cum eò rem perduxerat, haud quaquam desistendum ratum, Decimo sexto tandem Ianuarii die Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, immodicam civium & agrestium manum conscripsit, quæ liberum Ordinibus ut prætendebat consessum præberent, ad vicinos quoque agros literæ confestim dantur, quibus quam poterant maximo numero in armis convenire subditi jubebantur, prælatâ jura & privilegia tuendi causa, quo nomine certatim maxima hominum copia convenit, adeo ut viginti admodum militum millia in promptu jam essent, ad primum nutum parata. Hisce copiis jam stipati proximo die rem magnam & extremam aggredi statuunt, Regem nimirum ut tyrannum & reipublicæ hostem proscribere.

Rex vero maturè admonitus, relicta urbe Hamptoncurtium properè confugit, senatoribus

toribus

toribus suis sequi jussis præsertim Essexiæ, & Hollandiç Comitibus, ipsi verò detrectarunt malæ conscientiæ morsu tacti. Rex itaque exiguo comitatu iter fugienti similis ingressus est, adeo ut præ festinatione re minus procurata ipse cum uxore & liberis eodem prima nocte lecto uti necesse habuerit. Ipse jam hostium manibus elapsus scriptis editis causam suam coram toto mundo defendere satagebat, auxilio tamen destituebatur. Ordinibus verò, secus evenit, Londinum enim jam totum contra Regem in armis stabat, plateæ & compita catenis & obicibus intersepta, tormentis metuenda, Ordinum quoque copiç quatuor equitum militum adventu auctæ, cymbæ ipsæ & lintres ad bellum aptati, quin & civium famuli, aut discipuli ad Parliamenti nutum parati erant, & quâ fustibus, quâ stipitibus, quâ gladiis & hastis armati, intrantes senatum Ordines ceu satellites circundabant; atque ab eò tempore non Westmonasterii ubi solitum, sed in ipsa urbe conventus habebatur, quo melius civium animos sibi conciliarent Ordines rebusque suis viciniores essent, quanvis Rex per Essexium sententiam rogatus aperte negavisset. Illi itaque vi pertinacem ut dicebant Regis animum aggredi statuunt. Urbium maritimarum præfectis jussere ne Regiis mandatis nisi Ordinum auctoritate & sigillo munitis, obtemperarent, uno adeo ictu omnem Regis auctoritatem præ-

cidentes

cidentes, cui rei præcavere potuiſſet ſi maturo conſilio illa oppida ſui juris feciſſet, ſuoque præſidio muniviſſet. Rex cum vim parari videret, & Hamptoncurtii parum tutus eſſet, Vindeſorium confeſtum properat, quo ad eum Galliæ Regis orator venit, qui ſequeſtrum ſe inter Regem & ſubditos præbebat, cum verò neque Rex neque Regina ejus verbis fidem haberent, parum operæ navavit. At Rex jam primitus ſpe ſuâ ſe delapſum vidit, cum Wallorum & Eboracenſium ad rei famam defectionem ſibi imaginatus, metu ipſorum turbata conſilia conſpiciebat.

Parliamentum verò quod Regis anguſtia non latebat rebus ſuis jam inſiſtendum putans, conditiones Regi præſcribit, ut nimirum eodem quo Scoti modo Angli regerentur, atque adeo quotieſcunque vellent comitia conſcribere, & munia quibuſcumque placebat diſtribuere ipſis licitum eſſet, Epiſcopi quoque Parliamento arcerentur, quos utique Regis partibus addictiores invenerant, atque iſtiuſmodi alia. Maxima momenti oppida interea Ordines in poteſtatem ſuam redigunt, inter quæ Hulla erat, quò Rex antea Novi caſtri Comitem miſerat, qui deditionem peteret, oppidani verò qui antea Parliamenti juſſa acceperant, quid facerent incerti, inter ſpem metumque hærebant, deinde verò ampliore Ordinum mandato confirmati, Regem excluſere. Spe itaque frandatus

ad.

ad mitiora consilia se convertit, literas ad Parliamentum dedit, quibus hortabatur, ne rem tam acriter urgerent, à violentia desisterent, innocentiam suam & sinceram intentionem coram Deo hominibusque contestatus: Ordines verò parum illis moti verbis Hiberniæ interea rebus prospiciunt, quæcumque poterant rebellibus destinata auxilia prævertentes, datâ omnes Dunkerckanas naves vel in ipsis Angliæ portibus perscrutandi Hollandorum Ammirallio Martino Trompio, licentiâ. Digbeus quoque & Lans-Fortius, Regi addicti proditionis postulantur, hic captus, ille vero in Hollandiam effugit. Missis interea nunciis Regi pro datis literis gratias agunt, rogantque Majestatem ut Londinum redire dignaretur. Rex vero quanvis gratitudo ipsorum placebat, in aulam tamen reverti detrectabat, ne novum à plebis insolentia periculum incurreret. Male habuit Parliamentum hæc Regis tergiversatio, tum quia interim mercatura minus procedebat, tum quod destinata consilia eo minus urgere poterat. Supplicem itaque libellum cudunt inferioris aulæ Domini, *Quo licentiam sibi dari rogabant præfecturas, tam maris quam terræ, consulatus, aliaque Regni dignissima munera quibus vellent impertiendi, oppidis quoque necessariis munitionibus commeatuque pro re nata succurrendi.* Et ulterius progressi, *antiquos Reginæ famulos, tam Anglos quam Gallos, uti & Relligionis ministros depelli petebant.*

Episcopos

Episcopos porrò cum Romanis ritibus addictis Baronibus, Comitiis arceri, Ecclesiasticorum quinquaginta concilium convocari, Principes & proceres extra Regnum abire. quin etiam fœdus cum exteris Principibus aut Rebuspublicis inire sine Parliamenti consensu, prohiberi. Rogabant ultimò ut Rex Sacramentum daret, nullum cum Regina neque in Ecclesiasticis, neque politicis rebus consilium ineundi.

Hæc superioris Domus proceribus demonstrata haud quâquam placuere, ut quibus clarè Regia auctoritas lædebatur. Quo inferior domus offensa, ad receptas pridem artes se convertit, rem ad plebem referre, eamque in nobiles ut reipublicæ hostes & Regis partibus addictos, incitare, interminata. Flocci autem istiusmodi minas proceres pendebant, donec jam coalescentem inferioris Domus consilio plebem, immo (quod mirum) Scotorum oratores (contra patriæ suæ utilitatem) ab illa stare, conspicerent. Quibus tandem territi rebus, graviusque prævidentes periculum, quanvis inviti, consentiunt. Viginti ergo delecti ad Regem cum hisce conditionibus legantur, quæ postquam Rex viderat, consilium super illis inire, & sententiam suam scriptis exhibere, recepit. Postea vero cum ab omni parte angustiis premeretur, in hasce conditiones consensit, *ut nimirum Parliamenti esset, Regni urbes commeatu implere, modo apparatuum Rex ante certior fieret, munia quoque distribuere si ex*

tribus

tribus denominatis, unum eligere Regi concederetur. Quod ad Episcopos, de illa re ut cæteris graviori, penitius consuleret. Hic Regis consensus quanvis laxioribus terminis circumscriptum voluissent, summo applausu & gaudio ab Ordinibus accipitur, cum tantum ex eo auctoritate crescebant, quantum Rex decrescebat. Eò tamen rem perducebant, ut ipsa potestas rata haberetur, dum ordinum consessus erat, scilicet semper, cum pridem noxia indulgentiâ tantum illis tempus Rex concesserat, quantum ipsi petiverant, cum sine suapte voluntate dimitti aut dissolvi nequaquam poterant.

Et ne concessa auctoritas suo fructu fraudaretur, extemplo eam, ambrogatis & subrogatis quibusdam ministris & præfectis, instituunt. Nec eò contenti, at regis licentiâ jam superbientes accusatos sex Dominos non ultra reos agi, sed omni criminis aspersione liberari petũt, quibus Rex, indulgere jam certus, & illud concessit. Fractus adeo Regis animus uti adversariorum extollebat, ita amicorum spem deprimebat, quippe qui nimiæ illius lenitati parum fidentes, imminentis infortunii ictus declinare satius habebant; pars enim relictis Comitiis domum profecta, pars voluntarium exilium continuo metui præferentes solum vertebant, utrumque consessum hostibus relinquentes, illi enim jam rerum potiebantur, omnia pro animi

ſententia moderabantur, nullo muſſire auſo.

Iamque locuples Ordinum numerus ad illam paucitatem redactus erat, ut in ſuperiore non ultra viginti quinque, in inferiori ſede, vix octoginta membra numerarentur, diffluentibus paſſim Regis amicis, immo poſtea vix ſexdecim in prima aula inventa. Acerrima interea in Romanæ Relligioni addictos animadverſione debacchantur, claſſemque quæ mediteraneum mare negotiis aſſereret, ex Regis facultatibus conſcribunt, quo ejus tam imminuta poteſtas, quam fracta eſt auctoritas.

Regina quoque tot calumniis, & aſperſionibus fatigata, ſententiam ſuam in Hollandiam proficiſcendi, filiamque Guljelmo Aurangio deſponſatam, ad ſponſum comitandi, protulit. Et Parliamentum ut & illo Regem præſidio nudaret, haud ægrè conſentiit. Rex vero ut manifeſte demonſtret, ipſius præſentiam nullis malis cauſam præbuiſſe, ante diſceſſum ejus Parliamenti poſtulatis, de excludendis Comitiis Epiſcopis aſſentiit, qui errorum ipſius haud minimus fuit. Utque clare ſuum in receptam Relligionem animum exhibeat, ſeverum in Papiſtas edictum divulgari curavit, omneſque illorum miniſtros Regno exegit. Mirum quanto cum gaudio illud acceptum ſit, triumphalibus ignibus Londini & alibi ovatum, niſi mavelis feralibus de Regia aucto-

auctoritate actum esse. Regina interea Doverii classem conscendit, & non sine veris lachrymis ultimum vale dedit, accepitque, præsagiente nimirum animo, hunc discessum tristissimi divortii augurium esse. Ordines interim Regis consensum, super lectis aliquibus Regni ministris, flagitabant, Rex vero cui jam pridem errores quos commiserat innotuerant, jam tergiversari, & rem producere cœpit. Illi vero negationis impatientes, missis legatis ipsi deuunciant, *Parliamenti esse ad arma confugere, suamque auctoritatem vi defendere, ni Rex properè justis (ut dicebant) petitionibus assentiat.* Cumque longius à Londino discedere Rex statuerat, orabant insuper ne faceret, sed potius si ipse nollet, filium suum Londini degere permittat. Rex hanc petitionem haud parum miratus respondit. *Se istiusmodi propositis maximam in admirationem rapi, responsum tamen quod daret nescire. Manum cordi admoverent, & explorarent uter malorum ex bello intestino pullulantium tunc causam daret. Quod ad filium, se de eo ut patrem provisurum, neutrum unquam Londino discedere voluisse, nisi ab insolente plebe metuendum fuisset. Cæterum pacem omni modo acquirere se percupere, quicunque arma ferat, non morari, Divinæ providentiæ innixum.* Atque adeo dimissi sunt nuncii. Ordines vero jam non cuntandum rati, publicis edictis omnibus provinciarum præfectis jubent ad arma convenire, suosque subditos, qui bello gerendo

gerendo apti haberentur, ad ſigna cogere. Eoſque inſuper miniſtros quos Rex conſtituerat, protinus exauctorarunt, alioſque ſuapte auctoritate ſuperinduxere. Præſtantiſſimi, & prudentiſſimi ejus temporis viri, illum Parliamenti apparatum in fumum diſſolutum iri putabant, cum iſtiuſmodi conſilii participes, læſæ Majeſtatis crimen evitare non poſſent. Londinenſis quoque Senatus hac inſolita & inauditâ Parliamenti audaciâ ſe læſum arbitrabatur, cum ea ratione omni auctoritate nudabantur. Regi quidem ſuas querelas exhibent, ille vero quid faceret, qui ligatas pridem manus expedire nequicquam contendit. Parliamento deinde ſupplices libellos exhibent, quibus præcipui Londinenſes mercatores nomina ſubſcripſerant.

Cùm verò reſponſum ut par eſt prçſtolarentur, in ſubſcribentes animadvertitur. Sic omnia in pejus ruebant. Rex interea quem Ordinum conatus non fugiebant, omnem ritè adſe nobilitatem convocabat, ut Parliamenti conſiliis moram injiceret. Ordines ut Regem blandis verbis conſopirent omnem lapidem movêre, cumque hoc minus ſuccederet, accuſatoribus & criminibus illum onerant: *Quaſi Relligionis mutationi aures præbuiſſet, Scoticis ut & Hybernicis tumultibus cauſam dediſſet, ipſi ſaltem qui plurimum apud eum pollebant, Reginam occulte ſuggillantes.* Addebant miniſtros tum Pontificis tum Hiſpaniæ & Galliæ Regum animum

mum induxisse Regem priori auctoritati restituere, aliaque quæ justificandis illorum factis Regique commaculando inserviebant. Rex quidem editis scriptis hanc amoliri invidiam odiumque declinare conabatur, quibus tamen nihil profecit. Ordines enim novo diplomate priores articulos tum augebant, tum adornabant, maximam præsertim injuriam sibi ex Regis discessu, cui ipsi causam præbuerant, illatam dicebant.

Rex interea Eboracum cum Principe, Palatino & Richemundiæ Duce, aliisque proceribus, iter instituit, ulterius haud quaquam deludi, sed vim vi opponere & cum indulgentiâ non poterat, armis jura sua protegere, certus. Ordines quoque haudquaquam desidebant, sed præcipua oppida munitionibus & præsidio confirmabant, Hullam præsertim maximi momenti urbem. Warvicensis quoque Comes qui Angliæ oras observet cum triginta navibus bellicis mittitur, Pennintonium quoque Præfecti maris Legatum qui cum Regina in Hollandium navigaverat, citatis nunciis domum revocant, magnamque argenti summam domandæ rebellionis specie (cui & Rex haud ægrè partem suam attribuisset) corradunt. Carolus verò interea jussa ipsorum evertendo, & contrariis edictis prohibendo: illi autem inobedientes, vel ipsum Regem summo supplicio terrendo operam navabant, summo

ipsorum

ipſorum, qui moderatiora ſtudia prætuliſſent, dolore.

Rex poſtquam Eboracum venerat, ſumma benevolentiâ à ſubditis ſuis acceptus eſt, coramque omnem Papiſmi invidiam, quà aſperſus erat, amolitur. Ordines verò quos hæc Eboracenſium ſtudia malè habebant, datis literis blandis verbis conſertis, animum Regis emollire contendunt. Epiſtolam ſuppoſititiam ab Eliſabetha Palatina quaſi ſcriptam exhibent, qua peſſimè ab Ordinibus Belgicis Reginam exceptam eſſe, diffamabant, quam ut invidiam declinaret, Ordinum Orator Ioachimius, de eo mendacio apud Parliamentum conqueſtus eſt, quippe quo Magiſtrorum honos haud parum offuſcabatur, quorum in advenas Principes ſplendor & benevolentia omnibus terrarum partibus abunde innotuerat. Tantumque perfecit ut publicè fictitiæ literæ crematæ ſint. Rumor quoque haud minus mendax ſpargebatur, in Daniæ portibus magnam Carolo Regi claſſem parari, atque adeo quiſque utrinque ſtudet partibus ſuis tum favorem tum auctoritatem conciliare. Verbis jam ſatis decertatum erat, & ad verbera res ducenda. Quid multum? in apertum bellum erumpitur. Rex omnes tum torquatos equites tum eos qui nobilitatis vinculo Coronæ addicti erant, undique Eboracum convocat. Parliamentum contra capitis pœnam indixit, ſi quis ad Regem abeat. Ex inferiori tamen domo

domo viginti membra ad Regem deficiciunt, Regis majoris quam Parliamenti mandata facientia.

Sequebatur interea Cantianorum supplex ad Ordines scriptum, quo humiliter flagitabant: *ne sine Regis consensu quidquam peragatur.*

Ne de Liturgia aliquid immutetur.

Vt Ecclesiasticus Episcoporum ordo restauretur.

Ne fundamentales Regni leges sine Regis permissu antiquari paterentur, nec arma ipsius injussu imperentur.

Vt bonus ad concordiam rerum restabiliendam modus iniretur. Aliaque.

Ordines vero non modo responsum negabant, verum etiam tam in scripti oblatorem, quam in Bristolliensem Comitem qui illud acceperat, graviter animadvertunt, in carcerem utrumque conjicientes, ut in posterum istiusmodi postulatis via præcideretur, frendentibus nequicquàm sociis, & aperte demonstrantibus summa injustitiâ illam libertatem præcidi, cum aliis longe injustioribus petitionibus aurem præbuerint. Ordines interea cum à legatis ad Regem missis nihil actum comperirent, priora mandata exequi statuunt, jubent provinciarum præfectis quod prius injunxerant jam perficere, & quantocyus justum armatorum numerum conscribere, qui haud ægrè rem aggrediuntur, cum ex turbulentis rebus rei

agendæ occasionem sperarent. Nonnulli tamen rem altius vestigantes, injussu Regis arma capessere detrectarunt.

Penintonium quoque in patriam reducem, ut Regis partibus addictiorem, Ordines loco movere constituebant, ille verò cedere negabat, nisi Regis jussu cogeretur. Rex ejus fidem nequaquam aspernatus, assentiri & Warvicensem quem surrogare cupiebant, confirmare noluit. Inferior autem Parliamenti consessus, ingratiis superioris, sine Regis auctoritate nefas putantis, rem urget, prioremque electionem confirmat, & Regis studio exacerbatus serio bellum aggredi statuit. Quicquid commeatuum aut bellicorum instrumentorum Hullæ aut alibi habebatur Londinum vehi jubet, metu ne aliquando Rex urbe & munitionibus potiretur, illi verò quorum hæc curæ commissa erant, Regis injussu tradere pernegarunt præfectum urbis dari urgentem & incassum dira quæque minitantem, flocci pendentes.

Somersetenses interea Parliamenti pervicaciam aversantes, supplicem, Cantianorum exemplo, libellum Ordinibus offerunt. Illi vero hac offensi audaciâ, per carnificem illum cremari jussere, ut ab hujusmodi scriptis Somersetenses deterrerent, qui majori ad justa flagitanda numero convenire interminati fuerant.

Rex quoque cum justo exercitu in Hiberniam trajicere ad domandos perduel-

les,

les, petebat. Ordines verò ne rebelles ad partem ſuam pelliceret, & illorum copiis auctus in Angliam rediret, metuentes, negarunt, & ſuos metus tot miſerorum ſolatio prætulere. Ipſe interea Eſſexium Cubicularium ſuum & Leſlerium Hiberniæ pro Regem, & Hollandiæ Comitem, ob inobedientiam muneribus exauctorabat. Ordines vero contra, unumquenque ſuo injuſſu illa aggredi, ſub capitis pœna prohibent, Warvicenſem ſimul confirmantes. Utque omnium animos magis inſtigarent, & contra Regem exacerbarent, belli apparatum maximum ab eo contra rempublicam legeſque fieri, diſſeminant, ſubditos ſimul propterea Sacramento ſuo ſolutos eſſe jactantes. Rex vero contrarium editis ſcriptis exhibuit. Immo cum Lincolniæ aliquot ſubditi copiatim convenientes Regis cauſam defendere offerrent, prohibuit ipſe pertinaciter, & ut pacis amorem omnibus demonſtraret, domum quemque faceſſere juſſit, ſub illa conditione ut cum vocarentur adeſſe vellent, quingentos tantum pedites, & quinquaginta equites corporis præſidio retinens. Hac Regis lenitate adducti, ad eum plures defecêre proceres, immó ipſe magni ſigilli cuſtos tot injuriarum inſolens, qui poſtquam commiſſorum veniam impetraverat, amice à Rege habitus eſt. Quod aliis pluribus defectionis quoque cauſam præbuit, adeo ut in ſuperiori aula haud

ultra quindecim, ij verò acerbiſſimi numerabantur. Qui deintegro novis demonſtrationibus ſuper educatione liberorum Regis, Regni muneribus, aliisque prioribus haud quaquam diſſimilibus, ejus animum fatigant, nihil autem profecêre, ipſi enim qui contra Hibernos perduelles duces & milites conſcripti erant, ſponte relictis ſignis, ad Regem Eboracum verſus convolant, quapropter ille ſtipatores ſuos ad mille ducentos pedites, & ducentos equites, omnes nobili proſapia oriundos, augebat, quibus ad majorem honorem, Walliæ Principem præfecit. Hi, quando fidem poſtulabantur, omnes una voce Regis cauſam defendere jurarunt, nobilium verò quiſque ducentos pedites in armis afferre ultrò, ſi res poſceret, recipiebant. Qua ſubditorum conſtantiâ tum etiam ex Hollandia recepta modica argenti ſummâ in novam ſpem Rex erigitur. Eboracenſibus deinde decimum tertium Iuuii diem dixit, quo ad notatum haud longe ab urbe locum convenirent, qui obtemperantes ad ſexaginta hominum millia conveniunt. Rex cum filio, proceribus, ſexcentis equitibus, & aliquot peditum copiis, illis conſpiciendum ſe præbuit, conceptaque oratione, bonam ſuam intentionem in Relligionem & Parliamentum cauſamque jura ſua & Regiam dignitatem defendendi, exhibebat, præſens quoque militum præſidium excuſabat, ordinum deinde acta demon-
ſtrabat.

ſtrabat. Et extremò ſiquis rebus ſuis operam navare vellet, bonum ſtipendium promittebat, cum incolarum non exterorum auxilio uti cuperet. Hanc orationem pars ſummo applauſu excepit, pars verò ſeorſim conveniens ſupplicem libellum cudebat, quo poſtulabat, bonam Rex cum Parliamento concordiam ſervaret, qui defecerant proceres ad Comitia remitteret. Linceus vero Comes Cubicularius Regius, & Lavelius, diſſidio qui ex hoc ſcripto proveniret, præcaventes, in ipſa origine factionem ſuppreſſere. Quo offenſi, ad quinque hominum millia relicta Regis cauſâ aliò faceſſunt. Rex vero viginti admodum addictorum millibus ſtipatus Eboracum venit, cunctiſque domum abire præcepit.

Ordines vero hæc res minimè latebat, qui propterea dictos Comites proditionis inſimulant, quia nimirum ſubditis querelas offerendi licentiam præripuerant, non recordantes ſe iſtiuſmodi exemplo aliis præluxiſſe, cum Cantianorum & Somerſetenſium preces non modo inhibuerint, verum etiam in precantes animadverterint.

Exercitum etiam decem peditum & duorum equitum millium conſcribunt & Eboracum mittunt, ſpe aliorum acceſſione auctum iri, juſtamque argenti ſummam petunt mutuò à Londinenſibus certatim ſua aurea & argentea vaſa & quidquid prætioſæ ſupellectilis erat, ſpe magnorum redi-

tuum, offerentibus. Regis verò incipiebat infortunium cum detentis per collybum Londinum proſcriptis, viginti librarum millibus, quæ Regina in Hollandia oppignoratis Regiis monilibus, mutuò acceperat, quod magnum rebus ipſius detrimentum attulit. Ordines verò eò magis increſcebant, qui (frendentibus incaſſum nonnullis) magnum exercitum conſcribere conantur. Rex quoque qui conſultius tempus traxiſſet, moraſque nexuiſſet, ad hos belli apparatus connivere nequit, verum enimverò quà literis, quà dolo, quà aperto bello rem indeſinenter & impatienter urgebat. Hullam quoque attractis in partem præſidiariorum nonnullis, aſtu capere ſategit. Hothamo vero loci præſide fidem negante, & quanvis multi diffluerent milites, Scotorum adventu ſuccenturiatis copiis, fruſtra fuit. At quia hoc non ſucceſſerat ad pacis ſe conditiones convertit, obtulitque, modo Londinum ſeditioſam urbem derelinquant, aliumque conventui oppidum ſive Oxoniam, Vinoceſtriam, Cantabrigiam, Eboracum, Briſtollium aut Nothingamum eligant, ſe propediem conſeſſui interfuturum, & ſeveriter in diſſidii auctores animadverſurum. Ordines verò ne illud apud Londinenſes vitio verteretur, aliam urbem proponere, haud quaquam ex re duxere, cum illorum ſtudio ſupra omnia opus erat. Rex itaque cum & illud minus ex voto fluebat, proditionis

publico

publico edicto insimulat, si quisquam Ordinibus aut argento aut aliâ quaquam re auxilium tulerit. Londinensibus quoque si illud fecerint, suis privilegiis & immunitatibus quas magnas obtinent, nudare interminatur. Ordines contra, quo potissimum poterant colore causam suam depingebant. Diversa ex eo animorum studia & inclinatio: plebes quæ cæco quodam errore & obviorum specie haud difficilè ducitur, Parliamenti causis mordicus adhærebat. Ii verò quorum melior conditio, rei domesticæ causâ haud ægre tributa solvebant, ne forte Ordinum ministri officinas, specie necessitatis, invaderent. Nobilitas omnis pæne pro Rege stetit.

Rex interea Novumcastrum & Barvicum Anglorum præsidio firmat, quo rebus suis haud dubie defuit, & Scotorum animos abs sese alienavit. Pactum enim ante erat ne Anglico, sed Scotico milite tenerentur. At cum aliunde auxilia affluerent, Scotis susqe deque habitis, suæ tantum causæ studuit, & quanvis pacis obtentu plurium animos sibi concliavisset, ejus autem desperatione adactus, Hullam quæ astum suum effugerat, armis aggreditur. Cataractas primitus & deinde publicas obsedit vias, quo rerum angustiâ premerentur oppidani, horum autem virtute & audaciâ, frustra fuit. Ordines quoque jam publicè ad arma conclamarunt, & Essexium Comitem peditibus, Bedfordiensem equi-

tibus præficiunt. Rex vero Cumbriæ Comitem virum nobilissimum dominoque fidum, peditibus præposuit, scriptis interea causam suam coràm toto mundo agens, Hullamque sibi tradi postulans, ut præfecti insolentiam puniret; sed frustra. At ne bello indicto sua solemnia deessent, signa sua Nothinghami primitus explicuit. Cum vero minorem quam crediderat hominum concursum cerneret, ad conditiones iterum se convertit, nuncios ad Ordines misit qui factum excusarent, pacisque articulos peterent. Ordines verò qui non ignorabant, illud magis ex necessitate quam amore provenire, omnibus in suam utilitatem utuntur, quin & legatos ante senatum reos agi jussere, gentium adeo legem evertentes. Regi deinde indicant, ni properè Londinum redeat, & nobiles qui ad illum confugerant ad Parliamentum remittat, ut in eorum capita pro re nata animadverteretur, atque ex eorum bonis militiæ prospiceretur, se arma nunquam deposituros. Dura sanè conditio, quæque haudquaquam nisi ferro vindicari potuerat. Non deerant tamen qui Regi auctores extitere, ut istiusmodi postulatis assentiret; nondum verò deerat animus. Ad arma tandem post tot tantaque præludia, conclamatum est. Verum enimvero explicatis penitius dissidii causis vela colligemus, breviterque ut à principio propositum erat, rem perstringemus, ad finem properabimus, ne vastum

iterum

iterum rerum campum ingressi, nos viribus, & lector studio destituatur. Veniam tædiosæ itaque prolixitatis præfati, per gemus. Ad apertum ergo jam bellum ventum erat, quo nunc ab hac, nunc ab illa parte, ancipiti fortunâ victoria stetit, non sine magna sanguinis civilis jactura. Quæ omnia editis libris speciatim enumerantur, ad quos si eorum teneatur amore, lectorem dirigo. Essexius Parliamenti copiis præfuerat, cujus postea locum Fairfaxius occupavit, qui summo studio Regis partibus contrarius erat. Diversa conseruntur nunc hic nunc illic prælia, varia expugnantur oppida, maximam partem adversâ Regi fortunâ, qui Oxoniæ quoque postea à Fairfaxio obsessus, ementitis vestibus effugere necesse habuit, & ad Scotos ad novum Castrum subsistentes se contulit, spe ab iis (ut ipsi jactabant) fidelibus subditis, ut par erat, se humaniter habitum iri. Verum enimverò cum fortuna & fides vitium fecerat, nullumque in miserum studium erat. Illi inquam cum boni esse non poterant, mali esse nolebant, utque manus innoxias servarent, Regem Anglis tradidêre, sub illis conditionibus (ut dicunt) ne vis aliqua Majestati afferretur. Angli jam voti compotes ad Hollenbæum castrum, & illinc Hamptoncurtium, quò paulo ante tanquam ad asylum confugerat, nunc perjurum carcerem, illum deferunt. At quia parum tutus ille locus videbatur,

Vectem insulam versus raptum, undis & Hammontio tribuno servandum tradunt. astuto commento utentes, relicta enim in mensa epistolâ quadam admonebatur quasi Rex, esse qui vitæ ejus insidiarentur, quo metu territus, ut ad locum tutum, Vectem versus confugit. At quot in istiusmodi rebus fieri amat, plebes quantumvis antea in Regem efferata, nunc casum ipsius miserata, & errores suos contemplata, causam ejus agere instituit. Offerunt Ordinibus preces, ne ad pacem cum Rege condescendere dedignentur, tantumque fecêre ut ad conditiones tandem ventum, & pax utrinque sancita sit, summo Regis, Ordinum &, subditorum applausu. Verum enimvero Fairfaxius ejusque Legatus Cromelius rem turbandam omnibus modis censuêre, ne forte imaginatâ pridem, quam postea obtinuere, rerum summâ destituantur. Et jam plebe (volubili monstro) primitus sibi propitiatâ, victoriis suis fidentes, militumque robore & insano impetu audaciores, conclusam jam pacem conturbant infringuntque, rationes simul exhibentes, quibus minus licitum videbatur conditiones cum Rege (ut vocabant) Tyranno inire, necessarium verò, rem jam peractam bello & sanguine reficere. Sequebatur supplex ad Parliamentum libellus, quo in Regem jure & legibus animadverti, omnisque cum eo tractatio intercidi petebatur.

Ordines

Ordines vero militum suorum insolentiam aversati, & jam quanvis serò quos commiserant errores conspicati, responsum negaverunt.

Exercitus autem contemptu ferocior, & jam omnibus quasi obedientiæ solutis claustris insolentior, neglectis jure fideque, partim Novum castrum versus convolat, Regemque jam justa libertate gaudentem, & spe quietis & tranquillitatis exultantem, capit, captumque ad Horstum castrum defert, mox iterum Londinum versus movens urbem ipsam in potestatem suam redigit, & præcipuos aliquos comitiorum assessores in carcerem trudit, dum cæteri qui hanc tempestatem præviderant, fugâ sibi suæque saluti consulunt. Spectandum sanè Divini judicii specimen. Illi enim qui dominum suum prius male habuerant, jam à suis ipsorum militibus, & injusti furoris servis coguntur, violentiâ & carcere premuntur. Omnes qui ad Regiam auctoritatem penitus eradicandam, cum exercitu consentiebant, dignitati suæ & facultatibus restituti sunt. Rex deinde anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo ceu bello captus, quasi in triumpho Vindesorium versus conducitur, quâ ignominiâ diversi, qui antea eum peste pejus oderant, nunc ipsius miseriâ & rerum sorte permoti, publicis scriptis rem suggillarunt, hisce negotiis immisceri nolentes. Bona sanè intentio si maturius adfuisset, & Chri-

& Christiana misericordia, si non ex emerita improbitate provenisset. Cæteri nullis exemplis territi, in actionibus cum exercitu procedunt, simulque tribunal novum & inauditum erigunt, quod in causam Regis animadverteret, judicesque legunt, quorum nomina omnibus nota, propterque nefarium judicium, & atrum facinus, carbonibus notata. Præsidem se ipsum constituerat Fairfaxius legatique munus Cromelio crediderat. Ordines verò interea qui in perfida fide perseveraverant, harum omnium rerum invidiam à se amoliri, & Ecclesiasticis imponere; illi iterum illud odium declinare & publicis se scriptis purgare satagunt, utrum verò perverso quanvis decepto aliquorum studio, aliquid imputandum sit nec ne, haud facile judicaverim, innocentes omnes non puto. Utcunque sit, se satis superque excusarunt, & Fairfaxio ni desisteret, & negotio supersederet, Divina juxta & humana supplicia interminati sunt. Annus jam infelicis hujus seculi millesimus sexcentesimus quadragesimus nonus agebatur, mensisque anni primus, quando tremendo judicio exordium dabatur. Rex jam ad tribunal reus agitur, atque horum criminum postulatur.

Quod diræ sanguinis effusioni tam in Anglia quam in Hibernia causam præbuisset.

Arma adversus Parliamentum gessisset.

Commissionis diplomata tum filio tum aliis ad bellum gerendum dedisset, ut nimirum propriam auctori-

auctoritatem, summo publicæ libertatis detrimento eveheret. Ex quibus nascitur conclusio, *eum proditionis reum, atque adeo proditorem, Tyrannum, populique & rei publicæ hostem esse.* Ad hæc omnia subrisit Rex, responsique nihil dedit, cum legitimum hoc suum tribunal non arbitraretur, quapropter coram illo causam suam agere non tenebatur.

Indices autem eò magis efferati cum aliquoties illum stitissent, de objectis criminibus interrogassent, ipseque jure suo fretus constanter responsum negasset, inauditum nec convictum, *Omnibus dignitatibus elapsum, altæ proditionis reum, & propterea ut proditorem, Tyrannum, latronem, & reipublicæ hostem securi percutiendum pronunciant*, acclamante indesinenter populo.

Cum diceretur eum à populo condemnatum fuisse, mulier quædam subjunxit, dimidium popularis Senatus non adfuisse, ipsi autem statim injunctum est silentium. Prolata sententiâ ut executioni mandetur festinatum est, quanvis tum Belgarum Oratores Hadrianus Pauw, & Albertus Ioachimius, tum etiam Scoti omnem operam navarent, quo minus procederetur. Dominum Iuxtonum Londinensem Episcopum, & duos liberos penes se obtinuerat, hos ad corporis, illum ad animæ solatium. Liberos tandem donatos, & lachrymis abunde tum patris tum suis ipsorum madentes dimisit, ministrum tantum retinuit, qui Regi ad ultimum usque vitæ articulum

culum adfuit. Palatinus princeps, & Richemundiæ Dux præſentes Regi extremum vale dicere petierant, Rex autem negabat, ne novo luctu jamDivina ſpe exultantem animum turbarent. Adeſt tandem trigeſimus Ianuarii deſtinatus diræ executioni dies. Et Rex (proh nefas)ante Epularem domum erectum ferale pegma conſcendit. De quo ultimâ oratione adſtantem populum allocutus eſt, & cum jam ſatis ſuperque innocentiam ſuam conteſtatus fuiſſet, morti ſe tandem accomodat, & humiliori quam par eſſet trunco cervice impoſita, & per larvatum carnificem ſecuri percuſſa, moleſtam vitam pacatâ morte commutavit. Anno M D C X L I X.

FINIS.

